28514c11

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28772210_0001

FRANCISCI HERNANDI,

MEDICI ATQUE HISTORICI

PHILIPPI II. HISP. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS ARCHIATRI,

OPERA,

CUM EDITA, TUM INEDITA,

AD AUTOGRAPHI FIDEM ET INTEGRITATEM EXPRESSA,

IMPENSA ET JUSSU REGIO.

VOLUMEN PRIMUM.

MATRITI.
EX TYPOGRAPHIA IBARRAE HEREDUM.
ANNO M.DCC.LXXXX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CASIMIRI GOMEZII ORTEGAE,

REGII BOTANICES PROFESSORIS,

AD LECTOREM PRAEFATIO.

Neminem fore arbitror adeo in literarum historiâ hospitem ac peregrinum, quin audiendo, aut legendo didicerit, Franciscum Hernandum, PHILIPPI II. Hispaniarum et Indiarum Regis Medicum longè doctissimum, ab ipso fuisse delectum, qui inclinante jam saeculo XVI. in Indias occidentales trajiceret, et Mexicanarum plantarum, animalium, et mineralium genera, formasque inspiceret, delineandas curaret describeretque, ac omnium vires et usus in communem hominum utilitatem exploraret. Hernandus cùm septem ferè annorum spatio in Novâ Hispaniâ commoratus negotium sibi commissum strenuè obiisset; nescio quo misero, et scientiis calamitoso fato accidit, ut septemdecim ingentia volumina, quibus non modò illius regionis res naturales diligentissimè descriptionibus, iconibus, indicibus dilucida-

rat, sed etiam Mexicani Regni Topographiam, et Antiquitates persequutus fuerat, ejusdem Regis jussu Nardo Antonio Reccho, Medico Italo, et Neapolitani Regni Archiatro generali, recognoscenda, evulgandaque traderentur. Is per speciem omnia in MSS. contenta in epitomen et in ordinem redigendi, pauca selegit, quae potiùs transcripsit, quàm contraxit; quaecumque ad Naturae Historiam, non verò ad Medicinae usum spectare sibi visa sunt, temerè exclusit, nonnulla tamen saluti tuendae utilia negligens; vetera Indorum monumenta, quorum cognitio vel ob raritatem ab eruditis viris summoperè expetitur, praetermisit; plures plantas in insulis Philippicis ad Regni Mexicani ditionem secundùm divisionem ab Hispanis stabilitam pertinentibus sponte nascentes, et ab Hernando ex allatorum speciminum inspectione, et testium oculatorum fide descriptas omnino rejecit; exscribentis etiam errata repraesentavit; opus denique amplissimum, pretiosissimumque malè mulctavit, corrupit, deformavit; quemadmodum ex collatione integrae hujus editionis cùm Recchiano opere Romae evulgato patebit, et in Commentario, quem de Fran-

cisci Hernandi vitâ et scriptis volumini quarto praefigemus, fusiùs et luculentiùs ostendetur.

Illud tamen Recchi compendium, seu potiùs compilatio, cùm in Academicorum Lynceorum manus incidisset, adeo eos admiratione percelluit, quantumvis mancum, mutilatumque, ut ipsorum commentariis illustratum, et *rerum medicarum Novae Hispaniae Thesauri* titulo insignitum, Romae anno M.DCLI. edere non dubitarint. Plurimarum autem stirpium icones, quas, uti jam diximus, quoniam Medicinae inservire nondum innotescebat, Recchus omiserat, cordatiores ipsi, et meliori mente imbuti adjunxerunt, descriptionibus tamen destitutas, quas in compilatoris adversariis frustra quaesiverant. Compendii evulgatione, quod eventurum viri prudentissimi praevidebant, brevi evenit: eximia nempe Auctoris Hernandi opinio longè latèque percrebruit, et illius operum, quorum integrum exemplar MS. sartum, tectumque adhuc in Regiâ Bibliothecâ Escurialensi asservabatur, editionis desiderium cunctorum mentes occupavit. Interea, anno scilicet M.DCLXXI. luctuosum illud et generale Coenobii nobilissimarum

aedium incendium accidit, quo non modò Hernandi volumina MSS. sed etiam cetera ferme omnis Librorum locupletissima suppellex conflagravit.

Defleverant igitur ingentem, atque irreparabilem Hernandi operum jacturam boni omnes, atque ipse Tournefortius, Botanicorum sui temporis princeps, dum plantarum inquirendarum causâ ad memoratum Coenobium Escurialense divertisset; pro Hernandi collectionibus, stirpium indigenarum, semiputridarumque codices sibi ostensos in Isagoge in Rem Herbariam questus fuerat; cùm non sine Divino consilio contigit, ut nostrâ aetate Hernandi Adversariorum, seu primis secundisque curis elaborati, et ipsius manu emendati codicis volumina quinque, quae Matriti in Collegii Imperialis, quod ad Societatis Jesu Sacerdotes pertinuerat, Bibliothecae scriniis delitescebant, ac cum blattis tineisque luctabantur, faustissimo eventu à Joanne Baptistâ Munnozio, Indiarum Cosmographo, viro in primis harum rerum diligenti admodum scrutatore, et multiplici eruditione instructo, reperta sint.

Administrabat res Indicas tunc temporis Excell.

D. Josephus Galvez, Sonorae Marchio, qui tanti inventi alacritate, ut erat patriae laudum, et literarum incrementi supra quàm credibile est, studiosus, vehementer exsultans, et exardecens continuò Regem sapientissimum, CAROLUM III. sua sponte ad optima quaeque proclivem, adiit, atque incitavit, ut horum MSS. auxilio Francisci Hernandi opera omnia, cùm edita, tum inedita, autographi fidei et integritati restituta evulganda decerneret.

Vitâ functis optimo Rege, et Sonorae Marchione, inchoatam editionem haud minùs urgeri, et ad finem suis auspiciis perduci, benignè, et liberaliter, vix dum Imperio suscepto, jussit Augusti Patris et virtutum, et regnorum heres CAROLUS IV. Rex providentissimus, consilio et operâ usus viri Excell. Antonii Porlier, ad Ecclesiae, et Jurisdicundi publica conferenda munia, necnon ad literas in Indiis fovendas literatissimi Administri, veteri probitate simul, ac singulari humanitate Hispanorumque gloriae flagrantissimo studio praediti. Sed antequam, quo pacto utriusque Regis mandata exsequi nobis proposuerimus, breviter ostendimus; operae nos pretium fa-

cturos existimamus, si quae in unoque volumine ex quinque, quibus universum opus constare superiùs innuimus, continentur, lectorum oculis subjiciamus.

Priora tria volumina, quae quidem, uti et duo reliqua *in fol.*, chartâ, ut ajunt, magnâ, characteribus nitidis, et emendationibus versibus interjectis Auctoris ipsius manu exaratis scripta sunt, Mexicanarum plantarum Historiam latinâ linguâ contextam, et si cum eadem historiâ Romae evulgatâ conferatur, magna ex parte ineditam exhibent, additâ quandoque post singulos libros appendicis loco descriptione quarumdam plantarum Indiae orientalis, et insularum Philippicarum ex testium oculatorum testimonio, et allatis ramis. Initio primi tomi adsuta sunt ejusdem Hernandi plantarum Mexicanarum Historiae liber primus, et secundi libri priora quindecim capita, hispano sermone expressa. Tertium volumen nonnullis capitibus clauditur, quae de Animalibus, et Mineralibus agunt, quaeque veluti rudimenta tractatuum quarti tomi haberi queunt.

In quarto volumine Historiae Quadrupedum,

Avium, Reptilium, Insectorum, Aquatilium, Mineralium Novae Hispaniae singulis libris explicatae continentur, praeter copiosissimos indices in fine, alterum Plantarum, alterum Animalium et Mineralium.

Quintum denique ex opusculis penitus ineditis totum conflatur, atque adeo librum unum complectitur »de partibus septuaginta octo maximi Templi Me»xicani, fartis effuso sanguine, aliis ministeriis, ge»neribus officiorum, votis, jurejurando, hymnis, ac »feminis, quae templo inserviebant. = Librum de »Provincia Chinae, seu *Taibin*, quae septem dierum »navigatione distat à Philippicis. = De morbo No»vae Hispaniae anni 1576. vocato ab Indis *Coco»liztli*. = De Sine ex epistolâ Melchioris, Societatis »Jesu, et aliis. = De Pisce, quem vulgus navigan»tium septentrionalium *Remerico* appellant. = De »Pisce *Tiburone*. = Christianae methodi libros tres »(versibus hexametris) cum eruditissimis annotatio»nibus ad marginem appositis illustrissimi, reveren»dissimique viri, Petri Moyae de Contreras, Archie»piscopi Mexicensis, quae loca explicant paulò diffi-

„ciliora. = Quaestionum Stoicarum librum unum cum „Prooemio ad Philippum II. Regem. = Problematum „Stoicorum librum unum. = Problemata, seu Ero- „temata philosophica secundùm mentem Peripateti- „corum, et eorum principis Aristotelis. = Meteoro- „logica. = De animâ Problemata. = Problemata mora- „lia ex mente Aristotelis. = Carmen denique ad Ariam „Montanum, virum praeclarissimum, et doctissimum, quo illum jam in Hispaniam redux Hernandus de suis vigiliis, laboribus, scriptisque operibus, quae sigillatim recenset, deque utilitate inde emanaturâ certiorem facit, de adversariorum imperitiâ, et eorum iniquissimo judicio, quorum censurae commissa fuerant, graviter eleganterque conqueritur : ac denique se, suaque veteri et sapienti amico adversùs detractorum calumnias tuenda commendat.

Hanc Epistolam primo hujus nostrae editionis volumini praemittendam duximus, quoniam nulla alia ratio potior nobis visa est, quàm si Hernandum ipsum in eâ de suis Operibus veluti praefantem induceremus. Reliqua scripta ita distribuere opportunum visum est. Tribus prioribus voluminibus, quae nunc

evulgamus, Novae Hispaniae plantarum Historiam in XXIV. libros dispertitam concludimus ; quam quidem ad finem tertii voluminis copiosissimis, accuratis, et, ni fallor, haud exigui usûs Indicibus illustrare conati sumus, quorum primus universa nomina plantarum, ut plurimum Mexicana, alter loca earumdem natalia, tertius res notatu dignas comprehendit.

Quartum Volumen, quod propediem simul cum Quinto sub prelo sudabit, praeter Commentarium de Hernandi vitâ et scriptis, Novae Hispaniae Quadrupedum, Avium, Reptilium, Insectorum, Piscium, Mineralium Historias exhibebit cum Auctoris Prooemio inedito, quo Philippum II. adloquitur. Has excipient nonnullarum Plantarum in Indiâ orientali, et in insulis Philippicis nascentium descriptiones, quas quidem ex Mexicanarum Historiâ, ubi dispersae, et inordinatae in autographo reperiebantur, collectas huc in unum contulimus, simulque conjecimus praedictae stirpium Mexicanarum Historiae librum primum, secundique partem, quos etiam Hispanicè scripsisse Hernandum innuimus. Quòd si ea omnia haud

sufficere visa sint ad justam volumini magnitudinem conciliandam ; nihil magis è re fore putamus, quàm Appendicis instar recudere rarissimum , atque valdè expetitum opusculum de his ipsis Mexicanis per tria Naturae Regna opibus , quod, veluti quaedam Hernandi operum epitome , Mexici editum est in 4.° anno M.DCXV. *Francisci* scilicet *Ximenii libros quatuor de naturâ , et viribus plantarum , et animalium , quae in Medicinae usum in Novâ Hispaniâ recepta sunt.*

Quintum denique volumen lucubrationes prorsus ineditas de Maximo Templo Mexicano , de Provinciâ Chinae , de morbo *Cocoliztli* , de Pisce *Romerico* , de Pisce *Tiburone* , Christianae Methodi Libros tres , quaestiones Stoicas cum Prooemio ad Philippum II. Regem , ceteraque opuscula philosophica, quae in recensione operum in Codice MSS. contentorum memoravimus, complectetur. Ceterùm quamvis nonnullos naevos , veluti duplicata iterataque nonnulla , et orthographiae varietatem in iisdem Mexicanis rerum Naturalium et oppidorum nominibus à diversâ linguarum naturâ , et proferendi singulorum

ratione profectam in hisce MSS. offendimus; religioni tamen paene habuimus quidquam pro lubitu adjicere, aut immutare.

Nihil in praesentiâ exponere animus est de Plinii Naturali Historiâ, quam Hernandus Hispanicè universam interpretatus est, et praeclaris doctissimisque animadversionibus locupletavit; cujus interpretationis XXV. priorum librorum volumina in Regiâ Matritensi Bibliothecâ asservatâ, à Francisco Cerdano et Rico, doctissimo humanissimoque viro, quem sua ipsius edita opera supra omnem laudationem nostram extollunt, paucos ante annos detecta sunt, Regique, et Indiarum Administris eloquentiae, qua pollet, vi, et sententiae, quam ipsi plurimi pendent, gravitate pro egregio, quo in hujusmodi monumenta evulganda fertur, studio, ad editionem commendata. Sed de his, prout etiam de quadam suspicione, quae eidem Cerdano, nobisque ipsis, certis de causis, quas hìc commemorare non est necesse, suborta est, an scilicet Hieronymus Huerta, qui paulò post Hernandi obitum Plinii interpretationem Hispanam cum annotationibus suo nomine evulgavit, ab Hernando ple-

raque mutuatus fuerit, quem indictum tamen praeteriit, enucleatiùs agemus in Commentario de Hernandi vitâ et scriptis toties memorato. Nunc ad alium scrupulum gravioris momenti eximendum properamus.

Non deerunt fortasse viri alioquin docti, cordatique, sed plùs justo subrigidi, qui hanc Hernandi operum editionem improbabunt, utpote nimis seram, hominibus horum clarissimorum temporum infructuosam, nihilque aut parum solidae laudis Auctori ipsi, aut Hispano nomini allaturam. Ego verò quemadmodum non inficiabor, multa in Hernandi de Naturae Historiâ scriptis desiderari ad veram methodum, et systematicam rerum naturalium describendarum rationem spectantia, quae his duobus postremis saeculis Botanicem praecipuè ad scientiae culmen evexerunt; ita quoque non modò censeo hanc veniam Auctori nostro, prout ceteris ejusdem aetatis, et antiquitatis omnis scriptoribus jure meritòque tribuendam, sed etiam contendo Mexicanarum plantarum descriptiones, si cùm Dioscoridis, cujus opera nemo sanus non magni aestimat, et tamquam pretiosissimum thesaurum, unde

recentiores plurima hauserunt, reputat, descriptionibus conferantur, concinniores esse, ad artis regulas magis exactas, atque ad stirpium cognitionem opportuniores. Adde Dioscoridem patriae, et finitimarum Graeciae regionum vegetabilia explorasse, vel eorum observationes ab aliis institutas collegisse et evulgasse: Hernandum è contrario dissitas Mexicani Regni provincias peragrasse, novumque, et ab aliis intentatum opus aggressum, incredibilem stirpium, et animalium copiam veteri orbi prorsus ignotam posteritati tradidisse.

Sed, quod caput est, multiplicia, neque parvi facienda utilitatum genera ex horum operum editione in genus humanum, et naturalium Scientiarum incrementum redundatura esse, neutiquam dubitari potest. Primùm, ne de Philippicarum plantarum libro, aut de Opusculis V. Tomi ineditis loquamur, ad Historiae literariae fidem non secus, ac ad Hispanorum in literis laudem pertinet, Hernando nostro hujus absolutae operum ejus, quotquot exstant, evulgationis ope jura sua asserere, atque ab usurpatoribus, Nardo Antonio Reccho, et Joanne

Terrentio vindicare: deinde quascumque plantas hic postremus vix uno aut altero verbo praeter titulum singularum imaginibus subjecto edidit, uberiùs, et, ut supra exposuimus, satis ab illo concinnè descriptas nemo reperietur qui non modo sine mirificâ animi voluptate, sed etiam cum earumdem proprietatum proficua animadversione non evolvat, et ipsarum nonnullas cum europaeis easdem esse comprobare, vel quae prorsus novae sint, ad recentiorum Botanicorum systemata, quoad fieri possit, redigere non satagat. Praeterea nomina Mexicana tum Stirpium, tum Animalium, tum etiam Mineralium ab Hernando diligenter explorata, atque ex Indorum ore excepta, eorum formam, vel mirabilem aliquam, aut salutarem, aut noxiam facultatem plerumque exprimunt: quo quid utilius, seu ad rerum naturam investigandam, sive etiam ad sermonis ipsius Mexicani nondum Hispanorum convictu, et societate immutati proprietatem, copiam, dignitatemque cognoscendam? Jam verò loca natalia, in quibus singulae res procreantur, quaeque indefesso animo summis exantlatis laboribus Auctor ipse adiit, et ferè semper adnotavit, non-

ne viam cuique sternunt ad eadem corpora naturalia faciliùs exquirenda, invenienda, et in usus, quos indagavit et prodidit, adhibenda? Ad extremum plantarum vires, et quidem nonnullarum eximias ad gravissimarum aegritudinum sanationem, praestantesque alias ad hominum vitam tuendam, et ad oeconomiam promovendam utilitates, quarum rerum notitiam ex plurium saeculorum observationibus sensim comparatam, et quasi per manus à majoribus natu ad minores traditam Hernandus accepit, aut etiam extorsit ex Indis Medicis, qui primis illis temporibus adhuc vigebant, quae Mexicanorum ab Hispanis debellationem consequuta sunt; ecquis erit tam imprudens, tam consilii inops, qui non sentiat, thesaurum veluti quemdam, ut Lynceorum verbis utar, constituere, quem nisi scriptor noster in lucem protulisset, et monumentis suis consignasset, jam diu amissum, et ex oculis ereptum frustra hodie quaereremus?

At Icones, urgebit quispiam, quibus Auctor omnia illustrarat, Escurialensi incendio, irreparabili jacturâ consumtae sunt: immò, inquam, largiter reparandâ, et compensandâ: siquidem egregiâ Poten-

tissimorum Regum CAROLI III. et CAROLI IV. munificentiâ atque mirificâ eorum erga literas liberalitate provisum est, ne quidquam in Hernandi operibus diutiùs desideraretur. Nam cùm animadverterent sapientissimi Principes, nihil praesidiorum superesse, quae in Italiâ ad Recchi editionem inservierant, irritis conatibus Excell. et politissimi viri, Josephi Nicolai de Azara, acerrimi ingenii et omni ferè doctrinarum genere exculti, cui ea Romae inquirendi negotium demandatum fuerat; Regio sumtu, et auspiciis, vix hac editione inchoata, missi sunt idonei Botanici, et rerum naturalium scrutatores strenui, Vincentius Cervantes, et Josephus Longinos Martinez, quorum alter Botanices magisterio in urbe Mexicanâ constituto, et Horto consito scientiam publicè docendi munere fungatur, et Novae Hispaniae vegetabilia excolat, et in Hispaniam transmittat, alter Anatomicus etiam dexterrimus, ejusque socii Joannes del Castillo et Jacobus Senseve, atque omnium Praefectus doctissimus, excelso animo ac ingenio praeditus et Mexicani sermonis in primis peritus, Martinus Sesseus,

Medicinae Doctor , adscitis Pictoribus , et hujus editionis exemplaribus muniti , ceterorumque librorum , operarum , et omnis generis adjumentorum supellectile instructi per universas Novae Hispaniae provincias peregrinentur , et quidquid ad Naturae historiam spectans detexerint, praesertim ab Hernando olim adumbratum , colligant , ad artis normam , et recentium Botanicorum proprietatem , atque elegantiam describant, et delineandum , vivisque coloribus depingendum curent. Ex quorum laboribus exsurget opus tum scriptorum Auctoris nostri commentarii optimi tituIo dignum , tum quoque in Scientiae naturalis incrementum typis committendum.

Quam quidem Naturae Historiam , haud neglecto ceterarum Disciplinarum et Artium patrocinio , CAROLUS REX ad generis humani felicitatem natus atque educatus , ejusque Indiarum superiùs laudatus Administer , nullo sumtui parcentes , impensè et munificè fovent , et promovent non modo , qua ratione paulò ante diximus , in Novâ Hispaniâ , sed etiam per certos , eosque peritissimos Professores huic

negotio destinatos, in Peruviâ, in Novo Regno Granatensi, in insulis Philippicis, in universo denique, quâ latè paret, Hispanorum in Indiis Imperio. Quamobrem gratulari bonos omnes, et aequos rerum aestimatores par est, et gratias agere clementissimo Regi CAROLO IV. siquidem ejus amplissimae, Augustique PATRIS erga universos homines beneficentiae, quoscumque inde fructus perceperimus, accepti referendi sunt, nosque praesertim Hispanos, Paternae illius dominationis subditos, qui ipsi debemus ne nobis in posterum objici queat, parum, aut nihil populares nostros post tot saecula ad humanas cognitiones augendas et amplificandas contulisse; cùm omnibus compertum erit, cujus gentis fortissimorum militum facinoribus, et victoriis dissitae illae, vastissimaeque Americae et Asiae regiones insignitae sunt, et Catholicorum Regum ditioni subjectae, earum incolis ad humanitatis et Religionis cultum traductis; ejusdem, inquam, Hispanae gentis doctorum hominum ingeniis, itineribus, investigationibus, literarum monumentis ad ipsarum nationum, ad totius terrarum orbis utilitatem peragrari, atque illustrari.

FRANCISCI HERNANDI

AD ARIAM MONTANUM,

VIRUM PRAECLARISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM,

CARMEN.

Allapsum jam Astae ripis, Montane, sodalem
Ne veterem contemne tuum, cui cernere primùm
Romuleâ quondam licuit te, et noscere terrâ,
Rarum naturae miraclum, et gentis honorem,
Ac nostri ornamentum aevi; rursusque videre
Post secessum illum, quo te, Montane, sorores
Instituere novem, implerunt et pectora rerum
Causis, ac variis linguis, et lumine divûm,
Igniferos intra scopulos, et sacra Philippo
Moenia, delicias Regis, sedesque beatas:
Unde quadrigeminâ cusurus biblia linguâ,
Immensum, et praeclarum opus, ingentisque laboris,
Sponte petis Belgas molles, patriâque relictâ
Algentes tractus calcas digressus in arcton;
Dum nos sepositis plagis arcana colentes
Naturae haud pigri occiduos adnamus ad Indos,
Clementi adnixi imperio parere Philippi,

Hesperiae domini, lacerum qui vindicat orbem,
Instituit leges sanctas, renovatque cadentes,
Perdens injustos, et Christi nominis hostes.
Ergo post varios casus, post munia nostra
Praestita, quâ valui curâ, terrâque marique,
Excipe me reducem tam multis casibus actum,
In gremioque tuere tuo, nam diceris esse
Permessi solers custos, fidusque colonus.
Sunt qui post terga oblatrent, fundantque venena
Invidi, et innocuos tentent damnare labores,
Quos non viderunt, aut percepere legentes:
Indigni quos terra tegat, vel turba bonorum
Audiat efflantes scelerato ex ore chelydros.
Haec te propulsare aequum est, haec trudere in orcum
Sincero candore tuo, sapientiâ et arte,
Et gravitate, fide ac praestanti robore monstra;
Ne virtus deserta ruat caritura patrono,
Et foedi nitidis mergantur fontibus apri.
Tempus erit, cùm te liceat contingere dextrâ,
Et coram gratas audire et reddere voces.
Tunc ego Musarum veluti sacraria visens,
Impensè exsultans, nihil, ò Montane, silebo,
Ad res quod spectet nostras, ut noscere possis,
Quanta fides istis scriptis sit debita, quanta

Gratia, conatus maneat quae gloria nostros;
In rebus magnis si tantùm ad culmina celsa
Direxisse gradum magnum est, plenumque decoris,
Atque scelus patret qui his detractoribus aures
Praebeat immani diruptus viscera morbo.
Transeo quàm tulerim fastidia longa per annos
(Sanguine jam gelido languens, sterilique senectâ)
Septenos, mare bis mensus, terrasque repostas,
Expertus caelum mutatum, alimentaque passim
Jam pridem consueta mihi, lymphasque malignas.
Praetereo ingentes aestus, et frigora magna,
Vix ullo superanda modo mortalibus aegris,
Silvosos etiam colles, atque invia lustra,
Flumina, stagna, lacus vastos, latasque paludes.
Non refero Indorum consortia perdita, fraudes
Nec canimus tantas, dira aut mendacia, queis me
Non semel incautum lusere, ac verba dederunt,
Insigni curâ vitata, industriâ, et arte,
Et quoties vires plantarum, et nomina falsa
Quarumdam accepi fallaci interpretis usus
Oraclo: medicâ decuit quae vulnera cautè
Interdum methodo curare, atque auspice Christo.
Pictorum haud numerem lapsus, qui munera nostra
Tangebant, aderantque meae pars maxima curae,

Ne quidquam digitum latum distaret ab ipsâ
Reddendâ formâ, patulè sed cuncta liquerent;
Atque moras procerum, qui me properante molestae
Saepe fuere meis ausis, ac nixibus. Aut quid,
Quae evenere mihi gustanti pharmaca, dicam
Noxas, ac vitae pariter discrimina magna?
Aut morbos, nimii mihi quos peperere labores,
Nunc etiam infestos, et in ultima tempora vitae
Desaevituros, quotquot durabit in annos?
Coetusve hostiles, lacubusque natantia monstra,
Integros homines vastâ capientia in alvo?
Quidve famem, atque sitim? vel mille animalia blandam
Sanguiferis punctis passim afficientia pellem?
Rectores tetricos, atque agmina inepta, ministros?
Silvestre Indorum ingenium, nullisque docendis
Naturae arcanis promtum, aut candore paratum?
Praetereo, inquam, haec, et solum quod fecimus ipsi
Auxilio divûm eximio, Christoque secundo,
Hesperiae occiduae lustrantes, dicimus, oras.
Viginti plantarum igitur, pariterque quaternos
Dictamus libros (praeter qui fulva metalla
Subjiciunt oculis hominum, et genus omne animantum);
E quibus herbiferis profert Hispania in agris
Nullam, nam occiduas tantùm sectamur, et unâ

Caules, radices, varioque colore micantes
Flores; nec fructum, aut folium contemno, nec ipsa
Nomina, quorum est in variis regionibus usus,
Aut vires, natale solum, cultum, atque saporem,
Aut lacrymas stipitis stillantes vulnere: morbi
Qui curentur eis, quaenam sit meta caloris,
Quis color, et lignis qualis substantia subsit,
Et breviter quaecumque salus humana requirit,
Aut naturalis rerum haec narratio poscit,
Quàm propriis verbis potui, et brevitate decenti.
Quin vivas plantas viginti, ac semina multa,
Pharmacaque innumera, Augusto mittenda Philippo,
Praefecto dedimus, curâ ut majore ferantur
In patriam, Hesperiaeque hortos, et culmina adornent;
Emensamque novam Hesperiam duce sidere caeli,
Urbes, ac populos, montes, ac flumina, valde
Rem optatam nostris, esset quo cognita mundo
Usque adeo dives, tamque ampli nominis ora.
Scribimus et methodum, qua quis cognoscere plantas
Indas, ac nostras possit; vel quo ordine cunctis
Occiduis usus valeat succurrere morbis,
Noscereque indigenas, nostrisve ex montibus alto
Transvectas Indas tam longo tramite in oras.
Pharmaca et addidimus firmo sancita periclo,

Experta et nobis, quos pellant corpore succos,
Quae superent nostris nota, et quae cedere possint:
Cetera nam sileo, Domino quae dante videbis,
Atque emendabis, quando tua moenia laetus
Intrare, et dabitur genio Musisque potiri,
Curarum et vacuo dulci indulgere furori.
Ergo quî credi par est, ut talia nutu
Alterius scribi valeant, viresve referri;
Si hoc opus hanc curam, atque examina tanta requirit?
Nec passim invenias, humeris qui ferre labores
Tantos sustineant propriis, subeantve libenter?
Aut quî judex esse queat, censorve peritus,
Qui nullas usquam nascentes noverit herbas?
Aut qui nec libros nostros, durosve labores
Viderit? At magnos num quando invenimus ausus
Invidiâ caruisse suâ, aut prurigine turpi?
Jactave in abjectos torqueri fulmina valles?
Ergo tu nostros, vir praeclarissime, libros
Perlege, et indigni si non videantur honore,
Conceptus veluti cari complectere fratris,
Sicque favens, tibi me aeternos obstringito in annos.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER PRIMUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De APITZALPATLI *crenata, seu de herba secta per ambitum fluxum alvi cohibente.*

APITZALPATLI herba est quinque dodrantes longa, surculosa radice, foliis Menthae, flore luteo, Malvae semine, sapore circiter nullo, frigidaque et salivosa natura. Quo fit, ut semen foliave unciae unius pondere tusa, ac ex vino *Metl*, aut ex liquore aliquo adstringenti devorata fluxum alvi et quemvis alium coerceant, unde evenit ei nomen. Eodem pondere dicitur corroborare ventriculum, et satietati mederi. Provenit algentibus *Talhualiuhcani* agris, aridisve aut virore carentibus jugis.

CAPUT II.

De APITZALPATLI *altera.*

APITZALPATLI altera, quam nonnulli *Tlaelpatli*, seu dysenteriae medicamentum vocant, herba est dodrantalis, orbiculari radice et fibrata, ex qua profert caules dodrante paulò majores, teretes, tenues, et subalbidos, folia bina, parvula, serrata, atque obrotunda, per longa intervalla, et in postremis ramis florem purpureum atque exilem. Radices sapore insigni carent, nec gustatae effatu dignam adstrictionem praeseferunt, et tamen duodenae earum tusae atque ex aqua devoratae diarrhaeas dysenteriasque dicuntur cohibere, febrem extinguere et laxa membra corroborare. Nascitur apud *Xalatlauhcenses*, gaudens regionibus frigidis, et locis campestribus.

CAPUT III.

De APITZALPATLI *Tyauhtepecensi.*

APITZALPATLI *Tyauhtepecensis* herba est radici innixa fibratae, ex qua proferuntur caules quadrati, sarmentorum aemuli, tenues et quatuor dodrantes longi. Folia longa et angusta, vascula fulva, Avenae similia, plena albicanti et rotundo semine. Radix saporis ac odoris paene expers est, frigidaque et adstringenti natura. Nascitur in calidis ac montosis locis.

CAPUT IV.

De APITZALPATLI *Tehoitztlae.*

APITZALPATLI *Tehoitztlae* radicem fundit surculosam et fulvam, et ex ea caules octo cubitos longos, multos et teretes: folia Mori, infernè subalbida, supernè viridia ac multis distincta interveniis: florem album, modicum, unde erinacei prodeunt in quinque segmenta divisi, inter quos semen latet ricinorum forma. Radix glutinosae est et refrigerantis naturae, diarrhaeas ac dysenterias cohibens, unde nomen. Provenit in locis planis calidarum regionum.

CAPUT V.

De APITZALPATLI *Teuhcaltzincensi.*

APITZALPATLI *Teuhcaltzincensis* radicem fundit surculosam, ac prolixam, caules ulna longiores et fuscos, folia lata, et pallentem florem. Radix sapore Anethum imitatur, ac nonnullum calorem cum siccitate praesefert. Diarrhaeis medetur, praecipue si *Tepealacton* adjungatur, quae valde adstringenti natura constat.

CAPUT VI.

De APITZALPATLI *Mayanalanensi.*

Radicibus innititur APITZALPATLI *Mayanalanensis* longiusculis et tenuibus, et ex his fundit caules spithamaeos: folia

longa, tenuia et Lino silvestri similia, ac flores coccineos et modicos. Radix glandes sapit inveteratas, ac dulce quidam resipit, quae tusa unciae unius mensura, et ex aqua devorata diarrhaeas compescit, etsi temperamento aequali videatur proxima, et imbecillam quamdam adstrictionem praeseferre.

CAPUT VII.

De OLOLTIC APITZALPATLI, *seu de medicina rotundae ac fluxum cohibentis radicis.*

Radici insistit OLOLTIC APITZALPATLI unicae, candenti et rotundae, unde cognomen, (*ololtic* enim rotundum est) aut in duas ejusdem formae divisae, ex qua funduntur caules quadrati, hirsuti et tenues, folia Menthae, prodeuntia per intervalla, subalbida infernè, et supernè viridia. Radix sapore et odore insigni caret, frigidaque constat natura. Exhibetur unciae unius pondere ad frenandas, ut nomen indicat, diarrhaeas. Nascitur in frigidis *Xalatlauhcensibus*.

CAPUT VIII.

De APITZALPATLI *Tzontololotli.*

APITZALPATLI *Tzontololotli*, seu medicamentum adstringens, capillos habens rotundos, quam *Malinalcenses*, apud quos nascitur, quoniam glutinosa est, *Cacaltzin* vocant, radices surculosas fundit, et ex eis caules tenues, et hirsutos

teretesque, folia numerosa, serrata, obrotunda, unde nomen, et Balloti similia, sed tamen majora, aspera, hirsuta, atque cinerea: flores pallentes in extremis caulibus, Chrysanthemo similes, mediocres, ac multos acervatim congestos. Radix est gustu odora, aliquantulum acris, calidaeque et siccae ordine fere tertio temperiei, glutinosa, nec omnino expers amaritudinis, ac sapore nonnihil resinoso. Radix in farinam redacta, ac terebinthinae permixta, admotaque genuum frigus pellit, ac sedat dolorem, et si imbecilla ob nimium laborem sint, corroborat atque confirmat: jus verò decocti firmat dentes, adstringit gingivas, opitulatur dysentericis, uteri ac renum laxitati, perfractis, et passis lassitudinem. Mexicani reges ac viri primarii devorare quondam consueverant cortices laevigatos ex aqua semiunciae mensura a ludo patrio *batei*, quod nos vocamus *pilae*, ut à morbis qui vehementes lassitudines sequi solent, sese tuerentur. Provenit autem in collibus regionum calidarum.

CAPUT IX.

De ALAHOACAPATLI LEPTOPHYLLO, seu lubrico et tenuifolio medicamento.

Radicem fundit ALAHOACAPATLI albam, pellucidam, fibratam atque contortam, et in caule folia tenuia, Lini similia, sed minora, et flores candentes. Radix trita, et se-

miunciae mensura ex aqua Buglossi, aut fontana devorata humores omnes dicitur vacuare. Nascitur regionibus frigidis *Tahualiuhacani* juxta acclivia montium loca. Est et alia *Alahoacapatli* spinifera, quae, quoniam ad Tunarum differentias spectare videtur, inter eas servabitur referenda.

CAPUT X.

De AXIXPATLI *Ocimoide, seu medicamento evocante urinam, Ocimi foliis constante.*

Radices fundit AXIXPATLI *Ocimoides* tenues et candidas, caules exiles, teretes ac fulvos, folia *Ocimi*, unde cognomen, sed minora et aliquantulum undulata; florem purpureum et exilem, circa singulos foliorum exortus: semen initio album, postea nigrum modicumque, et oblongis vasculis contentum. Radix cujus est praecipuus in medicina usus, nullum insignem saporem praesefert, aut nonnihil dulcem, et salivosum, frigefacientique et humida natura constat. Eadem drachmae unius mensura epota ex aperienti quopiam liquore, aut ex aqua fontana, urinam ciet, renes emundat, extinguitque renum et vesicae ardorem, *Cacaoatl* verò permixta alvum leniter solvit. Nascitur in collibus, aut montium verrucis.

CAPUT XI.

De AXIXPATLI *altera.*

Radicem fundit AXIXPATLI altera surculosam, caules spithamaeos, tenues, ac rotundos, plenos foliolis longis et angustis, Polygoni Lentisve, flores subluteos, et modicos, vasculis contentos et abeuntes in pappos. Temperata, aut nonnihil frigefacienti constat natura, sapore dulci, ac paululum amaro. Radix semiunciae mensura devorata renum ac urinae calorem temperat, addita *Chichicayotli* tumores praeter naturam discutit ac praecipue pannos, glandulasve. Aqua, ubi radices aliquandiu maceratae fuerint, mirè urinam evocat, et calculos comminuit, sinit febres, et tormina tollit, ob partes, quas sortitur, amaras, calentes ac tenues. Nascitur temperatis regionibus, qualis est *Tetzcoquensis*, et *Tahualiuhacanensis*, ubi *Tztacpatli* eamdem herbam vocare consueverunt.

CAPUT XII.

De AXIXPATLI *tertia.*

Radicibus innititur AXIXPATLI tertia, quam a loco natali *Quauhnahuacensem* vocare possis, capillis similibus, e quibus profert caules teretes, oblonga, serrata folia, Menthae similia, flores exiles et purpureos, in spicas tenues et longiusculas compositos, et a singulis foliorum exortibus

propendentes circa caulium postrema. Sapore et odore insigni caret, adeoque calore nimio. Radices tusae ac drachmae unius mensura, ex Glycyrrhizae decocto, aut alio simili devoratae, mirè urinam evocant, emundantque quidquid illius meatus infarcit, aut urinae reddendae est impedimento. Nascitur regionibus calidis *Xochitepensibus*, et *Quauhnahuacensibus*, planis et campestribus locis. Aliam herbam vidi *Quauhquechullae* ejusdem nominis, sed odoram, et tertio ordine calidam, radice surculosa, foliis salignis, serratis, et flore modico atque candenti, quae retentam urinam evocet, si pugilli mensura folia ejus ex aqua devorentur.

CAPUT XIII.

De AXIXPATLI *quarta Ocpayocanensi.*

Radici insistit AXIXPATLI *Ocpayocanensis* capillatae, ex qua profert folia circiter saligna, et coccineum florem; humor, in quo folia aliquandiu maduerint, lotium evocat, et urinae meatus expurgat. Nascitur in calidis *Ocpayocani* juxta aquas.

CAPUT XIV.

De AXIXPATLI *Yztlanensi.*

Radicibus firmatur AXIXPATLI *Yztlanensis* surculosis, e quibus proferuntur caules sex cubitos longi, folia Amygdali, sed interveniis secundùm longitudinem discurrentibus, flo-

res orbiculares pilosi, sublutei et in pappos abeuntes; jus decocti foliorum urinam ciet, et quamquam frigida humidaque constat natura, cujusdam amaritudinis particeps est, et partium tenuium atque calefacientium. Nascitur in calidis juxta flumina.

CAPUT XV.

De AXIXPATLI *Texaxahuacensi.*

Volubilis frutex est AXIXPATLI *Texaxahuacensis*, radici innixus surculosae, e qua profert stipites sarmentosos quinque laterum, et folia vitiginea. Amaro haec constant sapore, et calida natura. Succus epotatus urinam elicit, et ictericis mirum in modum confert. Nascitur juxta aquas calidarum regionum.

CAPUT XVI.

De AXIXPATLI *Coztic, seu pallida.*

AXIXPATLI *Coztic*, quam alii *Amamaxtla*, seu taeniam aquae a forma foliorum vocant, *Oxilopatli* lacustris est species, quamvis sint qui *Axixpatli Coztic* ab *Amamaxtla* distinguant. Radix, quae surculosa est, admodum pallescit, unde nomen, et ab illa Rhabarbari vocati monachorum forma, colore et expurgantibus viribus non est dissimilis, quamvis tenuior et surculosa. Urinam egregiè evocat, duarum

drachmarum mensura trita ac devorata, ac bilem purgat. Nascitur regionibus temperatis ac frigidis juxta lentas et stagnantes aquas. Additum hujus radicis pulverem aequis portionibus lichenis equini, stercoris canis et muris, putaminumque ovorum, a quibus pulli sint extracti, demptis tamen membranulis, scio lapidem renum, aut vesicae mirè frangere, et fractum e corpore pellere.

CAPUT XVII.

De AXIXTLACOTL, *seu virga diuretica.*

AXIXTLACOTL, quam alii *Quapopoltzin*, alii verò *Ytzacxihuitl* vocant, caules mittit tenues, teretes, et purpureos, e radice fibrata, Hellebori albi proxima, et in eis folia Anchusae similia, minora tamen, serrata, mollia, exilia, hirsuta, et insignia interveniis secundùm longitudinem procedentibus, flores per universos ferè ramos exiles, ex albo pallescentes, et velut coacervatos, odoros acrisque saporis. Radix, cujus est praecipuus usus, gustu est odora, tenuium partium, calidaeque et siccae secundo ordine temperiei. Radices tusae, et applicatae infixa extrahunt, epotae verò trium drachmarum pondere urinam mirè evocant, ejusque extergunt meatus, colico affectu laborantibus succurrunt, faciei maculas emendant, scabiem capitum puerorum et universi quoque corporis curant, febres evocato sudore fi-

niunt, minuunt splenem, sedant dolorem, flatum cum *Coltotl* et *Chichicxihuitl* discutiunt, satietati medentur, ac dissipant praeter naturam tumores; et quamquam haec ita se habeant, ab evocanda solum urina nomen ei imposuere, aut quia ea est praecipua ac praecellentior ejus dos, aut quia quidam ex indis medicis, qui unam tantùm, aut alteram facultatem singularum herbarum sibi cognitarum norunt, et eam per manus traditam velut hereditario jure a majoribus adeoque a parentibus ipsis etiam medicis acceperunt, urinae solummodo ciendae ferebant auxiliari, et nomine ipso expressere, quae omnia de reliquis etiam plantis simul dicta esse volo. Aliam eodem nomine plantam vidimus apud *Quauhnahuacenses*, caule quadrato, foliis Salviae, crenatis, amaro sapore, purpureis floribus, circa postremos caules in spicarum morem compositis, calidioris ac siccioris temperiei; quam similiter ajebant febribus evocato sudore auxiliari montosisque locis provenire: eam tamen, quod ab hac, quam descripsimus, viribus parum differt, non curavimus depingendam. Provenit apud Mexicenses montosis saxosisque locis.

CAPUT XVIII.

De AXIXTLACOTL altera.

Radicem fibratam fundit AXIXTLACOTL altera, et ex ea caules inferiore portione purpurascentes, et superiore viri-

des, et in eis folia Stoechadis. Amaro sapore constat, calidaque et sicca ordine ferè secundo naturâ, et subtilibus partibus. Provocat urinam drachmarum trium pondere devorata. Nascitur ubique Mexici, atque *Culhuacani.*

CAPUT XIX.

De AXIXQUAHUITL, *seu de arbore, lignove urinam evocante.*

Etsi ab evocanda urina arbor haec nomen accepit, cortex tamen stipitis aut ramorum, redactus in pulverem, febrem quoque dicitur placare, et oculorum inflamationes arcere, frigida siquidem et salivosa natura constat, qua et urinae meatus delinit et oculos fovet. Nascitur in calidis, velut apud *Quahchinancum.*

CAPUT XX.

De TLALAXIXQUILITL, *seu herba humili, evocante urinam.*

Radices fundit TLALAXIXQUILITL fibratas, caules fulvos, tenues, geniculatos, spithamaeos et contortos, folia serrata, et sinuosa, parva, illisque Apii hortensis quadamtenus proxima; flores luteos, modicos, et in eis semen nigrum, tenue, et longiusculum. Frigida constat temperie. Caulium, foliorumve pugillus unus contusus, atque ex aqua devoratus, aut ex alio quovis congruenti liquore febrem ex-

stinguit, et urinam evocat. Montanis algentibusque locis gaudet nasci.

CAPUT XXI.

De ANCHUSA *Tetzcocana.*

ANCHUSA *Tetzcocana*, indis adhuc sine nomine, quod comperire potuerim, sex spithamas longa est, unum aut alterum proferens caulem, longa folia, hirsuta, subalbida et scabra, flores candentes, et modicos, calyculorum forma. Sapore et odore insigni caret, frigidaque et glutinosa constat natura. Diarrhaeis medetur, sanguinis fluxum compescit, ac febrem mitigat. *Tetzcocanis* provenit agris, a quibus propter formam, qua *Anchusae* genera aemulatur, impositum illi est a nobis nomen.

CAPUT XXII.

De ACOCOQUILITL, *seu olere simili Acocotli.*

Herba est ACOCOQUILITL quatuor spithamas longa, radicem fundens teretem, succo manantem, et aliquantulùm pallescentem, cui aliae orbiculares funiculis quibusdam appendent; hinc caulis prodit teres, ac purpureus, folia rara, terna, Laveri similia, purpureique et stellati flores. Pro olere estur cruda, et cocta; Anisi saporem praefert, gustumque odorum, et ad attenuantem victus rationem videtur pertinere. *Tetzcoqui* nascitur juxta aquas.

CAPUT XXIII.

De altera ACOCOQUILITL.

Herbula est exilibus constans foliis, Coriandri forma atque sapore, et flore in summis caulibus minuto et candente. Radix est odorata, apta cibis, et nonnullo calore praedita. Tussi dicitur auxiliari, admotaque mederi leprae, impetigini, et scabiei, somnumque inducere, praecipuè si adjungatur aliis herbis, de quibus capite de *Tecochitixihuitl* dicemus. Temperato, paulòve rigidiore caelo provenit, quale est *Tetzcocanum*, campestribus et aquosis locis.

CAPUT XXIV.

De ACOCOXOCHITL, *seu flore Acocotli.*

Herba est ACOCOXOCHITL non mediocris magnitudinis, foliis ferè Mali medicae, serratis floribus, magnis, purpureis, luteis tamen circa medium, orbicularibus, parumque odoris. Plures sunt hujus coronariae herbae differentiae, florum tantùm colore et magnitudine distantes, qui aliis sunt candentes, aliis lutei, purpurei aliis, item rubei, purpurascentes ex albo, ex luteo subrubescentes, et mille aliis variantes modis; adduntur in corollas, floridos torques, et manipulos. Radices sunt tenerae, plenae succo, Asphodeli similes, et intra nonnihil pallescentes, resinosae, dulcisque et illum Cynarae referentis saporis, quam etiam temperie,

et reliquis facultatibus videtur imitari, et tussi antiquae conferre. Provenit Mexici, aliisque plagis, exspectantibus ad temperiem aut nonnullum calorem.

CAPUT XXV.

De ACOCOTLI, *seu herba cavi caulis.*

Herba est ACOCOTLI excelsa, cavi caulis, unde nomen, foliis serratis, longis, ac Ligustici non omnino dissimilibus; sed in sinus quosdam inconditos fissis per intervalla, flore ac semine Ferulae. Radix Pastinacam olet, sed longe acrior est, atque odoratior, calefaciensque et exsiccans ordine tertio non sine quadam adstrictione, atque corroboratione. Species est, quantùm conjicere possum, Ligustici antiquorum, nostro adhuc non visa orbi; facultates eaedem, quae nostro Ligustico, ac vis sedandi ortos a frigore dolores. Ex illius internodiis extrahunt indi liquorem *Metl* e caudicum effosis cavitatibus, in quas ille stillat, ajuntque intertrigini conferre. Nascitur in calidis et temperatis regionibus, qualis est *Quauhnahuacensis*, et *Tetzcoquensis*, ubi sunt qui *Xalacocotli* eam nuncupare malint.

CAPUT XXVI.

De ACOCOTLI *Tepecuacuilcensi.*

ACOCOTLI *Tepecuacuilcensis* e radice surculosa et fibrata

fundit caulem rotundum, cavum, ac geniculis interceptum per intervalla, ulnam ferè longum, minimum digitum crassum, et in eo folia oblonga, minutim per ambitum incisa, mollia, similia Ligustico, et coccineum florem. Ligustici et haec videtur species, quamquam folia saporis sint expertia, glutinosa, frigidaque et humida temperie, quae veteribus medentur ulceribus trita ac farinae modo inspersa, et tumentibus cruribus emplastri modo applicata, orisque ulcusculis, si succo ejus colluantur. Provenit *Tepecuacuilci*, unde cognomen, calidis planisque locis juxta aquarum defluxiones.

CAPUT XXVII.

De ACOCOTLI *Quauhnahuacensi prima.*

Radices binas fundit ACOCOTLI *Quauhnahuacensis*, quam *Tepotztlani Chichicpatli* nuncupant, glandibus pares, in totidem fibras desinentes, extra fuscas, intrinsecus verò candentes, caulem dodrantalem, folia rara, oblonga, *Acocotli* similia, quina, et interdum sinuosa; in extremis verò caulibus, qui tenues ac teretes sunt, stellatos flores e pallido rubescentes; ad species etiam Ligustici videtur spectare. Radix calefacit exsiccatque ordine tertio, et gustu est odora, amara, et acris. Radix drachmae unius pondere devorata flatum discutit, alvi dolorem sublevat, urinam evocat, sudorem ciet, frigus pellit, ventriculum ob frigus imbe-

cillem confirmat, colicae adversatur, obstructa reserat, et tumores dissipat admota. Nascitur in montibus *Quauhnahuacensibus*, unde cognomen.

CAPUT XXVIII.

De ACOCOTLI *Quauhnahuacensi secunda.*

Radices fundit fibrarum forma ea herba, quam *Quauhnahuacenses* ACOCOTLI, alii verò, quòd lacte manet, vocant *Memeyain*, diversam tamen a Ligusticorum speciebus, ac potius ad Tithymalos, seu Peplis genera pertinentem: caules virides, rotundos, laeves, ac per intervalla geniculatos, unde prodeunt Nucis Juglandis folia, minora tamen, appensa pediculis purpureo maculatis colore: flores Tithymali, candentes, in summis caulibus. Vis lactis urens est, tumores praeter naturam rumpens, et carnem sanam, aut ubivis excrescentem corrodens et absumens. Jus foliorum decoctorum ad medietatem inani epotum ventriculo lumbricos necat, humoresque omnes, sed praecipuè pituitam vacuat. Nascitur in calidis prope rivulos, et defluxiones aquarum.

CAPUT XXIX.

De ACOCOTLI *Lacustri.*

Ligustici species est peregrina ACOCOTLI Lacustris, radici insistens Raphani, fibratae, atque extrinsecùs fulvae,

ex qua profert caules, et in eis folia minutim serrata, alteraque ex parte sinuosa, et in dispares portiones divisa. Vis eadem, quae nostrati Ligustico. Nascitur in temperatis regionibus juxta aquas. Est et *Xalacocotli*, quae Ammi à Dioscoride vocatur, sed de hac inter herbas nostrates, quae apud Novam Hispaniam nascuntur, est a nobis seorsim agendum

CAPUT XXX.

De ACOCOXOCHITIC, *quam Tlalocoxochitl alii vocant.*

Herbula est Acocoxochitic dodrantem plus minùs longa, magnitudine, et forma *Ocoxochitl*, unde nomen, foliis Menthae, radice fibrata, flore parvo et luteo, vasculis oblongis, Typhae grano haud absimilibus, tribus foliolis oblongis inclusis, ac nigro refertis semine. Frigida natura constat, et odore nullo, quamobrem pulvis caulium, foliorum aut seminis ex aqua devoratus, his qui cecidere aut vulnerati sunt, medetur, more ejus, quem *contra casum* Officinae vocant, nec desunt, qui affirment ophiasi opitulari. Nascitur in calidis *Ocpayocani* juxta flumina.

CAPUT XXXI.

De ACOCOQUILTIC.

Acocoquiltic, seu *Olus cavi caulis*, surculosis innititur radicibus, e quibus profert caules concavos, folia Menthae,

flores muscarii forma, et semen *Acocotli*. Species est Ligustici peregrina, tussi mirum in modum conferens; cetera Ligustico facultate similis. Est et altera planta *Acocoxihuitl* vocata, de qua infra sub nomine *Poxahoac* loquemur, quamquam ad praedictas plantas parùm videtur attinere.

CAPUT XXXII.

De TLALTECOMAXOCHITL.

Herba est duas spithamas longa TLALTECOMAXOCHITL, Napi firmata radice, sed in surculos duos desinens, ex qua prodeunt caules pollicem crassi, cavi, et intercepti geniculis, folia *Acocotli*, Ligusticive peregrini, ad cujus quoque species pertinet; quamobrem praecedentibus eam adjunximus. Radix Ligustici pollet viribus, flatum discutit, ac frigora pellit.

CAPUT XXXIII.

De APHATZI *Siranqua, seu radice Mustelae.*

Radici innititur APHATZI *Siranqua* crassae, longae, in extrema parte fissae, atque fibratae; ex qua volubiles profert caules aut serpentes per terram, folia hastarum mucronibus similia, Hederaeve, magna, et hirsuta. Cortex radicis luteus est, interna verò candescunt. Odorata est, acris, subtilium partium ac ordine tertio calefaciens et exsiccans;

unde facilè possis ceteras facultates conjicere ; earum alteram ajunt esse, qua cortex tritus atque emplastri modo admotus dolorem ventris sedat. Nascitur apud *Mechoacanenses* frigidis atque humidis locis.

CAPUT XXXIV.

De APHATZI *Siranqua altera.*

Radicem emittit APHATZI *Siranqua* altera crassam, et fibratam, fulvamque ; unde prodeunt caules trium cubitorum altitudinis, teretes, tenues, subalbidi ac paululùm hirsuti, quorum nodis adnascuntur folia rara, Mali Punici similia ; flores sunt albi in fuscum luteumque vergentes, atque inodori. Radices et folia acri et nonnihil amaro sapore constat, calidaque et sicca temperie. Radix tusa, atque illita dorso, febres, quae per circuitus repetunt, finit, aut pulsis rigoribus, aut sudore evocato, ac tumores discutit. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXV.

De APHATZI *Puntzumeti, seu Mustela odorata.*

Unicum profert APHATZI *Puntzumeti* caulem, sex spithamas longum, tenuem, teretem et striatum, e binis ternisve radicibus exilibus ac taeniis similibus, prodeuntem, et in eo folia longa, angusta, serrata, rara, Amygdalive, et

quae, ni in colorem fuscum inclinarent, et paulò breviora essent ac serrata, saligna viderentur; flores luteos in pappos abeuntes, ac semen in summis capitibus simile Aniso. Radix Coriandrum indistincta olet similitudine, sapit verò Pastinacam simulque Coriandrum permista, et calefacientis naturae esse reperitur. Eadem tusa atque e liquore quovis convenienti devorata dysenteriis, ut ajunt, et quartanis febribus solet mederi. In cacuminibus montium provenit, frigidisque locis, quale est *Pazcuarum* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXVI.

De APHATZE.

Herba est APHATZE, quae nomen etiam habet a Mustela, sex spithamas longa, radicis crassae fibrataeque, et foliis Amygdali, acris, odora ac tertio ordine calida et sicca. Frigidae intemperiei, aut ex ea ortis affectionibus epota, aut illita fert opem, opitulaturque, ut ajunt, dysentericis; pulvis verò foliorum ulceribus medetur. Nascitur in frigidis *Pazcuari* locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXVII.

De APANCHOLOA, *seu herba lymphis insilienti.*

Radices fundit APANCHOLOA fibris persimiles, albas, tenues, et aliquantulùm capillatas, e quibus oriuntur stipi-

tes quatuor circiter dodrantes longi, exiles, teretes, purpurei atque lignosi, foliis per intervalla oblongis, salignisve referti; item flores purpurei, candentesve, prolixi, ac rari universo ferè caulium procursu. Frigida, siccaque, et adstringenti natura constat; quamobrem oris ustionem aut ulcera curat; aqua verò, in qua tusae radices aliquamdiu maduerint, transfusa per colum, atque potata, fluxum alvi, sed praecipuè puerorum coercet, et utero gerentium abortum cohibet, efficaciùs tamen plantae vocatae ab eadem gente *Cozticpotoncaxochitl* permista, simulque intrita et macerata: quin et alia permulta praestat auxilia, quae ad praedictam temperiem videntur attinere. Provenit campestribus locis regionum temperatarum, qualis est *Tetzcocana*, ubi eam curavimus depingendam, udisque et irriguis locis, a quibus habet nomen.

CAPUT XXXVIII.

De Acxoyatic *prima, seu herba simili Abieti.*

Radicem profert Acxoyatic *Pyro* parvo forma et magnitudine persimilem. Ex qua fundit caules tenues, teretes et virides, et in eis folia tenuia, angusta, et longa, paene teretia, et Lini quadamtenus similia ac per intervalla sena septenave, et flores juxta singulos foliorum acervos longiusculos, coccineos, et parvis quibusdam vasculis con-

tentos ; e quibus acini generantur cicerum magnitudine , semine referti. Sapore et odore ferè nullo , frigidaque et humida temperie. Radix in farinam redacta , devorataque opportunè e frigido quopiam liquore febres solvit , inebriare quoque dicitur , et acopis medicamentis utiliter misceri. Nascitur circa montes *Chiauhtlae Tetzcocanae* , temperatis locis , aut paulò frigidioribus , atque humentibus.

CAPUT XXXIX.

De ACXOYATIC *secunda.*

ACXOYATIC secunda , quam alii vocant *Tlachpahuaztic* seu *Scopas* , alii verò *Tlalcocol* seu *humilem* ac *undulatam* ob contortae radicis formam , et alii ob exilitatem *Pipitzahoac* aut *Ytztacpatli pipitzahoac* , parva est herba , radicem fundens gracilem , triplo tamen ipso caule crassiorem, contortamque seu convolutam , atque candentem ; e qua prodeunt cauliculi spithamam longi , tenuesque , terni aut quaterni , et in eis folia Abiegnis similia , unde praecipuum ejus nomen ; flores in supremis caulibus in spicas compositi , parvi et exiles , qui principio candentes in semen demum mutantur fusci coloris. Radix , cujus est praecipuus in medicina usus , paululùm acrem praefert saporem , odorem nullum , estque calidae et siccae ordine tertio temperiei. Eadem contusa mediocriter et e liquore aliquo congruenti

curando affectui matutino tempore atque inani ventriculo sex obolorum pondere devorata, humores omnes, sed maximè pituitam atque bilim, tum per superna, tum etiam per inferna citra ullam molestiam aut noxam vacuare solet; atque ita hydropicis, cachecticis, asthmaticis, motu impeditis, corpus dolentibus, tineamque patientibus magnopere dicitur conferre. Potest autem, sive febriat aeger sive febre vacet, virens radix vel arida, tutiùs tamen arens paulò minori pondere, exhiberi: dum tamen vitiati succi redundent, quos vacuare opus sit, et cibo, qua die sumitur, ad meridiem usque parcatur. Eadem tusa, resoluta ex lotio humano et instillata morbis oculorum medetur, ac discutit argemata. Clementi caelo provenit, aut paulò rigidiore, quale est Mexicanum, quo fit, ut apud Hispanos, si semen eò deferatur, seraturque, sperem servandam, atque nascituram.

CAPUT XL.

De ACXOYATL, *seu Abiete.*

Arbor est excelsa et comata, Abieti nostrati aut eadem, aut congener; e qua non modò resina fluit, abietinae nostrati par, sed oleum quoque e bullantibus stipitis vesiculis, sedando dolori, pellendo frigori, ac latioribus viis corporis extergendis et purgandis, semiunciae pondere devoratum, ubi nimius absit calor, aptissimum. Nascitur in fri-

gidis regionibus, ac nominatim *Tototepecensibus*, ubi et aliud Abietis genus reperias, vocatum ab indigenis *Axiuhocotl*, excelsum, amplumque et in comam expansum, nec absimili liquore manans, foliis tamen longè brevioribus; de quo seorsim sumus dicturi.

CAPUT XLI.

De ACXOYATL *Ocopetlayucae.*

Herba est crassae et surculosae radicis; e qua profert caules coccineos, tenues et lignosos, Abietisque folia, unde sortita est nomen. Radix est amara, ac secundo ordine exsiccans, atque calefaciens. Leprae opitulatur tusa atque imposita. Nascitur in montibus temperatis *Ocopetlayucae.*

CAPUT XLII.

De TLALACXOYATL *Xuxuctlensi, seu humili Abiete Xuxuctlae.*

Radicem fundit Raphani vocati similem, aut Batatae vulgaris potiùs, cortice vestitam extra fusco in fulvum vergente, et intus candido; ex qua teretes tenuesque mittit caules, et in eis folia Abietis aut Pinus, unde nomen. Radix temperatè calefacit, aut nonnihil refrigerat, et dulcedinis cujusdam particeps est. Salivam gustata pallido colore inficit, ac Glycyrrhizam quadamtenus resipit. Erysipelatis

ajunt mederi, ac febres et illitam et devoratam exstinguere. Nascitur *Xuxuctlae.*

CAPUT XLIII.

De TLALACXOYATL *prima.*

Herba est TLALACXOYATL *prima* dodrante paulò major, radicibus insistens fibris similibus et fulvis, e quibus mittit ramos ejusdem coloris, et in eis folia abiegna, unde factum est illi nomen, aut Erices potiùs; tenuiora enim, et minora sunt: flores Corrudae capitulis persimiles, sed ex albo in cyaneum colorem vergentes. Calida et sicca ordine primo natura constat, quo fit ut pulvis radicum medeantur ulceribus. Nascitur in collibus regionum frigidarum, aut attinentium ad temperiem.

CAPUT XLIV.

De TLALACXOYATL *secunda.*

Radici insistit fibratae, e qua fundit stipites crassos, folia angusta et longiuscula, abiegnis forma proxima, unde nomen: et in summis caulibus ramulisque flores coacervatos in capitula pallescentia ex viridi et in pappos demum abeuntia. Adstringenti siccaque natura constat, atque ita pulvis radicum inspersus ulceribus medetur, si lotis priùs vino semel aut bis quotidie admoveatur. Provenit in calidis locis *Quauhtlae* juxta flumina.

CAPUT XLV.

De TEPEACXOYATL, *seu Abiete montana.*

TEPEACXOYATL, quam alii *Coyotlychcauh* seu *Gossypium vulpeculae* vocant, radices fundit surculosas, caules teretes, folia longiuscula et angusta, unde nomen, nimis glutinosa et digitis attrectata impensè adhaerescentia: flores in umbellas suprema caulis parte compositos, ex candido pallescentes, fructum Siliquastro similem, sed qua parte pediculo adhaeret, paulò crassiorem, aut cordi, sed prolixiori cuspide, eodem quoque modo pallescentem ex albo. Amara planta est, et tumores praeter naturam aut discutit, aut maturat et aperit. Nascitur montibus *Tepoztlanicis*, qui in frigidam inclinant temperiem: est et *Quauhacxoyatl*, et *Tepeacxoyatl* altera: verùm quoniam *Quauhacxoyatl* ad Scolopendrii species pertinet, *Tepeacxoyatl* verò altera ad Pinuum genera, hìc praetermissa in propria loca describenda differentur.

CAPUT XLVI.

De AHOATETZMOLIN, *sive Quercu fruticosa.*

Arbor est magna laurinis foliis, multis distinctis interveniis, atque viridioribus, materie firma, ligonibus huic genti consuetis, et operibus intestinis perquam opportuna. Provenit *Tetzcocanis* montibus. Est et *Ahoatl*, glandiferae Quercus genus, foliis amplis, Robori similibus et per in

tervalla angulosis. Est et *Ahoapatlahoac* foliis quoque angulosis, sed minoribus, atque obrotundioribus: necnon et *Huicahoath*, et alia Quercuum numerosa sed medicinae inutilia genera, de quorum nonnullis in sequentibus agemus.

CAPUT XLVII.

De AHOATON, *sive Quercu parva.*

AHOATON, sive *Quercus parva*, quam alii *Tlalcápolin* seu *Cápolin humilem* vocant, herba est fundens stipites rubescentes e radice longa et fibrata, fulva, ac mediocris crassitudinis, et in eis folia Origani serrata, Chamedriosve, aut Ilicis, minora tamen, unde nomen, quae inferna parte dilutiore virore nitent, superna verò exsaturatiore: flores coccineos, parvos, et longiusculos: acinos primò virides, mox rubros, et demum nigri coloris, nucleos fulvos continentes. Radix sapore est adstringenti, et aliquantulùm amaro, non sine quadam dulcedine, odore nullo, frigidaque et exsiccante natura, quam si unciarum trium mensura coquatur e tribus libris aquae fontanae ad tertias, et jus decocti potandum propinetur vice potus, enixas corroborat, dysenterias compescit, laxata renum ossa confirmat, et acoporum medicamentorum more labores sedat eorum, qui ex longo itinere, cursu, lucta, aut quavis alia simili occasione delassati sunt. Temperatas amat regiones, qualis

est *Temichtitlanica*, frigidasve, et saxosa loca atque montosa.

CAPUT XLVIII.

De AHOAZHOATON, *seu herba ferente foliola Quercus.*

Radicem fundit crassam, pilulis ponticarum nucum forma atque natura refertam, et ex ea caules rubros, spithameos, foliaque Bryoniae purpurea, sed minora. Frigida atque exsiccante natura constat radix, atque ideo trita atque inspersa ulcera extergit, et ad cicatricem perducit, et scabiei applicata medetur.

CAPUT XLIX.

De AHOAPATLI *prima, seu quernea medicina.*

Herba est AHOAPATLI duos cubitos longa, radici innixa crassae et fibratae, e qua multi caules prodeunt, purpurei, folia Quercus, ac flores in summis caulibus lutei, parvi, ac minimè senescentes. Sapor est acris, gustuque gratus odor, et calefaciens quarto circiter ordine, exsiccansque natura. Jus decocti depopulatur pediculos, fumus cimices fugat. Dolores ventriculi a causa frigida ortos sedat, flatum discutit, diarrhoeas coercet, et colico iliacoque affectui infusa auxiliatur. Praecipuus usus radicum. Nascitur calidis regionibus aut paulò clementioribus, qualis est *Tacapichtlensis*, et *Tepotzlanensis*.

CAPUT L.

De AHOATZITZIN, *seu Quercu parva.*

E radice lignosa, crassa, fulvaque plures fundit AHOATZITZIN stipites, ejusdem ima eorum parte coloris; plenos foliis serratis, parvis, Origani Ilicisve haud dissimilibus. Caret, ut referunt, flore et semine. Auxiliatur asthmaticis semiunciae pondere cortex radicis tritus, et, quoties oportet, devoratus.

CAPUT LI.

De AHOAXOCOTL, *seu Pruno quernea.*

Arbor est AHOAXOCOTL mediocris, foliis Pyri obrotundis et mediocris magnitudinis, fructu eduli, initio viridi, et postea rubro, Cerasis nostratibus forma, colore et magnitudine simili, dulcique. Frigida et humida natura idem constat, calidaeque intemperiei et febribus adversatur.

CAPUT LII.

De AHOAXOCOTL *altera.*

AHOAXOCOTL altera, quam *Oztoam*, seu *Vulpeculam* quidam vocant, arbor est magna, foliis Mali medicae, infera parte candicantibus, pallenti fructu, ponticis nucibus paulò majori, viridi semine referto, binis magna ex parte adhaerescentibus, ac velut ferruminatis acinis. Fructus frigida humidaque constat natura, edulis est, ac febrientibus

utilis, et fortassis cum superiori ad prunorum genera referendus.

CAPUT LIII.

De AHOAPĀTLI *secunda, seu quernea medicina.*

Herba est AHOAPATLI quatuor spithamas longa, et surculosis innixa radicibus, e quibus prodeunt caules teretes, laeves, cinereique, et in eis folia Urticae, aut quernea, unde nomen: flores candidi in pappos abeuntes. Radix, cujus est praecipuus in medicina usus, acris est, odora, calidaque et sicca ordine ferè tertio. Alvum cohibet, urinam evocat, refrigerata calefacit, flatum discutit, dolores lenit, ventriculum ac cerebrum firmat, et alia praestat auxilia, quae cinnamomo tribui solent.

CAPUT LIV.

De altera AHOAPATLAHOAC, *seu Ahoapatlactli.*

Quercus est species AHOAPATLACTLI, folia ferens Mali medicae, longè tamen majora, angulosaque et spinifera, a querneis haud multum distantia: et in eis gallas magnas et purpureas. Glandibus caret, materie verò constat ceteris firmiore.

CAPUT LV.

De ACAPACHTLI, *seu Arundine musco querneo simili.*

Herbae genus est ACAPACHTLI forma Arundini, Grami-

nive persimile, Quercubus, aliisque sylvestribus arboribus innasci solitum, unde nomen: fibratis insistens radicibus: flores verò parvos et luteos in summis caulibus edens. Intrita haec herba *Maquauhpatli*, de qua suo in loco est a nobis dicendum, atque ex aqua mensura unciae unius epotata, aut illita corpori, febres dicitur exstinguere. Provenit montosis *Xonotlae* locis.

CAPUT LVI.

De ATONAHUIZPATLI, *seu febris medicina.*

Caules fundit ATONAHUIZPATLI graciles, et sesquidodrantem longos, e radice tenui et fibrata, et in eis folia Limonis: flosculos luteos circa caulium extrema. Frigida, humidaque natura constat, odoreque, et sapore ferè nullo. Stipites aut folia tusa bibuntur semiunciae mensura ex aqua Cucurbitae, aut Hordei, illinunturve contra febrium impetus. Montosis algentibusque provenit locis.

CAPUT LVII.

De ATONAHUIZPATLI *Hueitlalpae tenuifolia, et latifolia.*

Caules fundit ATONAHUIZPATLI *Hueitlalpae tenuifolia* quatuor dodrantes longos, teretes, graciles, et rubeos, refertos foliis rutaceis paulò longioribus, unico nervo secundùm eorum longitudinem discurrente: florem exilem ac pusil-

lum, in fulvum colorem inclinantem, longiusculumque. Calida temperie, siccaque et aliquantulum adstringenti constat, et gustu nonnihil amaro. Jus decocti ejus manè ac vespere epotum quinque continuis diebus, aut, si opus sit, pluribus, febrium tertianarum rigores, imo et ipsas febres tollit. Nascitur in cautibus *Hueitlalpae* in montium faucibus frigidisque locis. Est et alia *Atonahuizpatli* eodem caelo proveniens, eisdemque pollens viribus, sed longioribus foliis.

CAPUT LVIII.

De ATONAHUIZPATLI *Mactlactlanensi.*

ATONAHUIZPATLI *Mactlactlanensis*, quam alii *Tohualchicomacatl*, seu *septem noctis arundines* vocant, caulem fundit e fibrata radice tenuem, hirsutum, fulvum, altera parte planum, altera teretem, volubilem, et in arborum vicinarum conscendentem cacumina: folia angusta et longa, pinguiaque, quadamtenus Mali medicae aemula et nullis distincta interveniis; quamobrem ad species *Totocuitlatl*, seu *Visci quercini* posset non immerito referri. Haec ex aqua resoluta, atque illita febrium calorem sedant, expertia enim sunt saporis atque odoris insignis, frigidaque et humida temperie pollent. Provenit *Mactlactlani*, unde cognomen; necnon in calidis regionibus *Papaloticpaci*, umbrosis, udisque locis, in sylvis ac montibus exsultans.

CAPUT LIX.

De AYAUHTONA *Tepoztlanica, seu herba ex viridi purpurascente.*

Herba est surculosis innixa radicibus, unde caulem fundit rubescentem, folia obrotunda Veronicae aut Nummulariae: flores in summis ramis exiles, et candentes, ac velut in spicas compositos: folia Corianum sapiunt, acria sunt, calidaque et sicca ordine tertio temperie et subtilium partium; quamobrem interpellatarum febrium rigores et frigora illita cum aliis curant, unde quidam *Atonahuizpatli* vocant.

CAPUT LX.

De AYAUHTONA, *seu planta florem ferente qui e cyaneo purpurascit.*

Radicem fundit AYAUHTONA, quam alii *Tacaquilitl*, seu *herbam cuspidis*, *Mechoacanenses* verò *Eratihueni* vocant, tenuem et capillatam, ex eaque caules tenues, teretes et vergentes in purpureum, folia angusta et longa, Iberidis similia, sed paulò longiora, altera parte viridia, altera cyanea, florem purpurascentem e cyaneo, et inde fructum forma et magnitudine capitulis erratici Papaveris similem. Editur oleris vice cruda coctave, et calidum Corianumque resipiens praestat alimentum. Ajunt illitam febri punctisque mederi; quod fieri nequit nisi tractis ad cutim vacuatisque

morbificis humoribus et per urinam evocatis. Provenit temperatis regionibus, qualis est Mexicana, atque etiam calidioribus, cultis ac campestribus locis.

CAPUT LXI.

De HOEITONALXIHUITL, *seu herba magna Solis.*

Herba est radici crassae et surculosae innixa; ex qua multos profert caules sarmentosos, et in eis folia e viridi pallescentia, mediocris magnitudinis, et cordis figura, sed cuspidis magis acuminati: flores oblongos in summis caulibus vasculorum forma. Sapore et odore insigni caret, frigidaque constat natura.

CAPUT LXII.

De TONALXIHUITL *prima, seu herba Solis.*

Radicibus innititur TONALXIHUITL *prima* multis et crassis, e quibus fundit stipites spithama longiores, ac tenues: folia longiuscula et exilia: flores in postremis stipitibus oblongos et albos, in papposque abeuntes. Radix est frigefacientis naturae, ac febres eximiè exstinguentis, si tusa unciae unius mensura devoretur, aut illinatur.

CAPUT LXIII.

De TONALXIHUITL *Diuretica.*

Radici insistit Raphano simili, valde pallenti, ex qua multi prodeunt caules, cubitum longi, tenues, fulvique, folia Coccognidii, sed minora. Radix, quae frigida, humentique constat natura, trium drachmarum pondere devorata renes emundat, urinamque evocat; verùm priùs, si urina retenta sit, *Xomalli*, Junci genus, oleo inunctum peni immitendum.

CAPUT LXIV.

De TONALXIHUITL *Tacapichitlensi.*

Herba est radicibus fibris similibus innixa, unde fundit caules tenues, teretesque, et in eis folia pinguia, mediocria, cordis figura, aut Veronicae feminae vocatae, ad cujus species fortasse refertur, similia: flores in discursu caulium oblongos, et e purpureo in luteum elanguescentes. Glutinosa est, aliquantulùm acris, calidaque et sicca natura. Tumores praeter naturam discutit, partum accelerat, et defluxionibus opitulatur. Calidis provenit regionibus, qualis est *Tacapichtlensis*, montanisque et campestribus locis promiscuè nasci gaudet, unde fortassis nomen invenit, non a sedando calore, ut pleraeque aliae ejusdem nominis, aut ab eodem, si corpori admoveatur, inferendo, aut a sole, cujus accessu exsultat; *Tonalli* enim Mexicensium lingua solem sonat.

CAPUT LXV.

De TONALXOCHITL *Ocoitucensi, quam alii Tonacaxochitl, seu florem cum sole provenientem vocant.*

Herba est TONALXOCHITL *Ocoitucensis*, e surculosa radice caules mittens volubiles, et in eis folia Ocymi, sed longiora et minimè serrata, ac per intervalla duorum palmorum flores magnos, longos, intus luteos, extra nonnihil candescentes, ac circa labra, quae fissa sunt, purpureos, luteis capillamentis intrinsecus prodeuntibus: flores Capparos vocatos olent, ac dulci sapore constant. Temperies est mediocris, aut in frigus paululùm inclinans: quamobrem pugilli mensura ex aqua hordeacea, Cichoriive epota exstinguit febres et erysipelatis confert admota; humida enim quoque est et glutinosa natura. Nascitur quibusque regionibus, ac locis montosis, amplexa arbores, etsi cultura ad campestria, hortensiaque soleat interdum descendere. Est et alia *Tonalxochitl*, quam *Iztactonalxochitl* vocant a florum candicante colore, hac dumtaxat in re a praecedenti distantem, cum facultate ac cetera forma ei sit omnino similis.

CAPUT LXVI.

De TONALXIHUITL *Tehoitztlae.*

Radice firmatur TONALXIHUITL *Tehoitztlae* crassa, fibrataque, unde profert caules sex dodrantes longos, et in eis

folia. Atriplici agresti similia, ac nonnihil serrata, et circa pediculorum exortum verticilla, qualia Marrubio inesse solent. Frigida, humidaque et glutinosa natura constat, quo fit, ut febres illitu curet. Provenit juxta aquas in calidis locis *Tehoitztlae.*

CAPUT LXVII.

De Tonalxihuitl secunda.

Folia et haec TONALXIHUITL, quae praecedenti congener est, fert cordis figura: flores parvos ac candentes. Frigida temperie constat. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT LXVIII.

De TONALXIHUITL, quam alii Netzahualxochitl, alii verò Axochiatl, alii Teachpaoaztli, seu Hueitlachpaoaztli, et Tonalaxochiatl vocant.

Radicem Raphani fibratam fundit TONALXIHUITL, et ex ea caules aliquantulùm purpureos, folia salignis proxima, florem oblongum et luteum, et in vasculis longiusculis semen. Radix est subdulcis, glutinosaeque naturae, ac frigefacientis, humectantisque temperiei. Folia resoluta ex aqua, epotaque pugilli mensura, aut corpori illita febrem dicuntur exstinguere, mederi lassitudini, doloribus e morbo gallico provenientibus, praeter naturam tumoribus, qui crura

caputve ob malum habitum obsederint: asthmati devorata strumisque apposita, diarrhoeis, ustionibus, ulceribus internis atque externis; renum ardorem mitigare, et corpora fulmine contacta fovere. Temperatis provenit plagis, qualis est Mexicana, aut paulò frigidioribus, qualis est *Amaquemequensis*, quibusvis locis. Assurgit cum primis aquis, et floret cum postremis, unde vocata est *Axochiatl*, seu *Flos aquae*. Provenit et *Xilotepeci*, ubi *Queqexquicpatli* ob lacinantem quamdam vim vocant.

CAPUT LXIX.

De TONALIZTLI, *seu Iztli Solis.*

Nomen invenit TONALIZTLI a forma foliorum, *Iztlinos*, id est, ex lapide *Iztli* factos gladios imitante. Est autem herba Androsaemo magnitudine, foliis, flore, et caulibus paene similis, ac fortasse congener: flos est parvus et luteus in supremis ramis. Radix crassiuscula et surculosa, amaro sapore, calidaque et sicca ordine tertio; nam jus decocti ebibitum flatum discutit. Nascitur in montibus *Xochimilcensibus*.

CAPUT LXX.

De TOTONILIZPATLI, *seu febrium Medicina.*

Herbula est radicibus innixa capillis similibus, unde folia mittit sinuosa, longaque et quadamtenus Filicis simi-

lia, cujus est fortassis species. Caule, flore, et fructu caret. Folia tusa, resoluta ex aqua, devorataque febres exstinguunt, additis praecipuè *Miahuapatli*, et *Yxicahui Yzalizpatli*. Nascitur saxosis in locis juxta aquas.

CAPUT LXXI.

De altera TOTONILIZPATLI.

Radici insistit longae, tereti, tenui, rubescenti, capillatae, et geniculis interceptae per intervalla, e qua fundit caules teretes, teneros, tenues et purpureos, et in eis folia parva, pinguia, oblonga, ac Sedi similia, nullis distincta interveniis procedentibus in latera. Folia tusa, pugilli mensura, et ex aqua devorata, aut illita corpori febribus dicuntur adversari; et tamen gustui odora est, et paululùm cum humore calens. Nascitur *Hoeitlalpae*.

CAPUT LXXII.

De TONALOCOTL, *seu Pinu Solis.*

Frutex est TONALOCOTL caules ferens fulvos, et in eis folia Lauri, multis interveniis distincta: flores numerosos, parvos et luteos, gravis odoris; cujus nullum usum medicum adhuc potui *Atepuztlanicis*, apud quos provenire solet, extorquere, quamobrem neque delineandum curavi.

CAPUT LXXIII.

De TONALXIHUITL *tertia.*

Radici innititur tenui et longae, è qua prodeunt caules teretes, tenuesque: et in eis folia parva, longiuscula, angusta, similia Erysimo, ac binis angulis juxta cuspidem insignia, necnon flores in postremis ramis orbiculares, Chrysanthemi forma et magnitudine imitantes capitula, verùm e luteo purpurascentes. Frigida, humidaque natura constat, et sedando calori febrili perquam accommoda.

CAPUT LXXIV.

De TONALXIHUITL *quarta.*

Est et quarta TONALXIHUITL, herbula radicibus innixa fibrarum forma, pallescentibusque, unde profert caules tenues, teretes, fulvos, ac dodrantem longos: et in eis folia Origani paulò minora: flores toto caulium discursu parvos, coccineos, modicisque calyculis contentos, et in summis stipitibus capitula oblonga, ex coacervatis flosculis congesta. Frigida et humida constat natura, et exstinguendis febribus apta.

CAPUT LXXV.

De TONALXIHUITL *quinta.*

Herba est radicem fundens tenuem, longam et fibratam, ex qua mittit caulem sesquidodrantem longum, et

multis concavum alis, refertis foliis longis, angustis, Lini aemulis et plerumque inferna parte serratis: floribusque circa cacumina candidis, abeuntibus in pappos, vasculisque purpureis contentis. Frigefacienti, humectanteque natura, sicut ceterae ferè omnes hujus nominis, constat, et eodem modo febrientibus confert.

CAPUT LXXVI.

De ATEHUAPATLI, *seu herba nascente juxta rivos.*

Radici innititur ATEHUAPATLI, quam alii *Ahoatepatli*, aut *Tlatlauhcapatli* vocant, tenerae, longae, ac capillatae, cui appendent teniae quaedam, julive, piperis longi formam aemulantes. Ex hac prodeunt stipites hirsuti, teretes, purpurei, dodrantales, foliis binis, obrotundis, hirsutis, serratis, infernè rubeis aut squallentibus, denique Urticae proximis referti. Folia erraticum Papaver sapore imitantur, frigidaque et humenti constant natura, non sine quadam adstrictione. Radix epota foecunditatem procurat, praecipuè si cum vocato *Chilatolle* sumatur, et abortum prohibet. Nascitur *Quauchinanci*, et *Copitlani*, locis temperatis, circa saxa.

CAPUT LXXVII.

De ATECIOATL, *seu fluminum femina, aut conjuge.*

ATECIOATL, quam alii *Tolochichiltic*, seu *Cor rubrum*

vocant ob foliorum formam et colorem, quae rubra sunt, et cordis figuram imitantur. Radicem fundit mediocris crassitudinis, et fibratam: tenues caules, ac magna ex parte rubentes; et in eis folia cordis, ut diximus, figura, serrata, et e viridi in rubeum colorem vergentia: flores modicos rubescentes, et tandem abeuntes in pappos. Odora est, calidaque et adstringenti natura, ideoque jus decocti ejus permista fuligine ebibitum, vel infusum diarrhoeas sistit, renibus utile est, procidentem vulvam in propriam sedem reducit, confert satietati et sudore evocato medetur febribus. Nascitur temperatis regionibus juxta humentia et uliginosa loca, unde primum nomen. Est autem apud medicos singularum partium usus; verùm sunt suis quaeque temporibus deligendae.

CAPUT LXXVIII.

De ATENXIHUITL, *seu herba lacustri.*

Laveris videtur ATENXIHUITL species quaedam peregrina, ramos fundens sex tantùm uncias longos, inferna parte purpurascentes, e radicibus fibris similibus prodeuntes; quorum extremis partibus appendent folia terna, mediocria, obrotunda, serrata, et Laveris foliis haud dissimilia, quibus etiam sapore, nutrimento, et temperie, quae calida et sicca est, sunt paria. Cruda, coctave manduntur, urinam evo-

cant, et obstructiones aperiunt. Nascitur *Tetzcoqui* in locis palustribus.

CAPUT LXXIX.

De ATEMATZALQUILITL, *seu herba convoluta aquae.*

Caules profert ATEMATZALQUILITL virides, duos dodrantes longos, geniculatos, concavos, et rotundos, e radicibus similibus capillis, et in eis folia longa, angusta et angulosa, quina per intervalla, ac florem cyaneum. Radices odore et sapore insigni carent, frigidaque et humenti constant natura. Tusae eaedem, et resolutae ex aqua, naribus inflamatione laborantibus ter die instillatae medentur. Nascitur in calidis, quale est *Hoitzocum*, juxta flumina.

CAPUT LXXX.

De ATENXIHUITL *secunda.*

Herbula est ATENXIHUITL tota exilis, parvaque: tenuium foliorum ac purpureorum: frigidae, humentisque naturae, saporisque et odoris prope nullius. Colli eruptionibus solet admoveri. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT LXXXI.

De ATENPATLI, *seu medicamento palustri.*

Radices fundit ATENPATLI surculosas, et ex his caules cinereos, folia Limonii mali, sed oblonga et acuminata, si-

liquas tenues et longiusculas, plenas prolixa lanugine. Calida est ordine tertio, siccaque natura, acris, et aliquantulùm amara. Loto capite jure decocti radicis ejus moriuntur statim lendes ac pediculi. Nascitur in calidis *Tlacuiloltenanci*, locis asperis et praerruptis.

CAPUT LXXXII.

De ATECUIYXTLI, *seu Oculo cancri.*

Genus est volubilis ATECUIYXTLI albescentibus, ternisque foliis. Et quamquam usu medico caret, insignis tamen est planta, minimè praetereunda, vel ob siliquas refertas granis media parte nigris, et media rubeis, Peoniaeque haud dissimilibus. Provenit *Quauhtlani Amiltznici.*

CAPUT LXXXIII.

De AHATE *Panucina, seu Quauhtzapotl, vel Anona.*

Arbor est parva, foliis Limonis, sed longioribus, Medicaeve Mali, odoris, calidisque, et siccis ordine ferè tertio, rubeo stipite, ac egregio fructu, *Matzatli* extra simili, intra verò Anonae, unde nomen, dulci, et qui citissimè putrescat, nec Malum Punicum excedat magnitudine. Nascitur Panuci, ubi in magno habetur pretio, ac nuper ad *Quauhnahuacenses*, ubi eam vidimus arborem, coepit pertinere.

CAPUT LXXXIV.

De ATLILATL, *seu aqua denigrata.*

Herba est ATLILATL quinque cubitos longa, radice constans fibrata, e qua prodeunt caules tenues, laeves, teretes atque purpurei, et in eis folia Persici, latiora tamen et breviora, et acini nigri, Ciceris magnitudine; quorum succus, qui insipidus est, inodorus, frigidaque et humida temperie constans, aut moderatè calida, argemata tollit. Clementi *Quauhchinanci* caelo gaudet, ac montanis praecipuè provenit locis.

CAPUT LXXXV.

De AXIHUITL, *seu herba nascente juxta aquas.*

Caules profert AXIHUITL quadratos et purpureos e radicibus surculosis, et in his folia serrata, Ocymi aut Urticae forma, sed paulò majora. Fructum in ramulis primò viridem, mox purpureum, ac tandem nigrum, et in corymbos compositum, piperis rotundi, nigrique similes, tingentem purpureo colore attrectantium manus, ac singulis acinis bina granula includentem, et flores purpureos, racematim etiam dependentes. Succus foliorum ea portione, quae ovi putamen expleat, omnes humores expurgat supernè, infernève pro corporis, aut succorum redundantium ratione et copia. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus* juxta rivos, et aquarum quosvis decursus.

CAPUT LXXXVI.

De altera AXIHUITL.

AXIHUITL *altera*, quam alii *Apatli*, seu *aquae medicamentum*, alii *Apapatlactli* ob latitudinem vocare solent, herba est quinos prolixa cubitos, radici innitens Raphani, fibratae, ex qua profert caules quadratos, cavos, folia cordis aut Urticae figura, lata, virentia, mollia, serrata, et sapore alterius Sisymbrii, tenuia, longis purpurascentibusque pediculis appensa, ac flores modicos et candentes. Folia gustu odora sunt, acria, subtilium partium, calidaque et sicca tertio ordine natura. Flatum devorata discutiunt, ventriculum calefaciunt, dissipant, maturantque praeter naturam tumores, plagis vetustis et antiquis medentur, obsistunt frigori, dolorem inde excitatum mitigant, opitulanturque perfrigeratis. Nascitur in *Tepoztlanicis*, et *Ocoitucensibus* agris.

CAPUT LXXXVII.

De tertia AXIHUITL.

Herba est AXIHUITL *tertia* dodrantem plùs minùs longa, caules proferens e radicibus capillis similibus terentes et purpurascentes, et in eis folia serrata, oblonga, venisque distincta, recta in cuspidem procedentibus, et flores candentes parvos. Frigida constat, humidaque na-

tura, et saporis odorisque experti, quo fit, ut folia pugilli mensura devorata calorem nimium viscerum exstinguant, et febribus adversentur. Nascitur *Xochipeci* campestribus planisque locis.

CAPUT LXXXVIII.

De ATLICHIPINCA, *seu aquae gutta.*

Herba est ATLICHIPINCA parvula, caulem fundens brevem, tenuem, ac tenerum, e radicibus similibus capillis: et in eo Solani folia, Piperisve, nervis secundùm longitudinem procedentibus, molliora tamen et magis acuminata. Sapore et odore insigni caret, frigidaque et humenti constat natura. Propinatur unciae unius mensura ex aqua fontana, Buglossive adversus cordis affectus, quos vehementi ardore laborantes pati solent, sedat enim calorem, arcet animi deliquium, omnemque angustiam et anxietatem fugat. Provenit in calidis *Pahuatlanensibus* circa loca humentia, amplexa cautes.

CAPUT LXXXIX.

De AXOCHITL, *seu flore aquae.*

Frutex est AXOCHITL multas fundens radices, candidas ac mediocris crassitudinis; ex his scapum quinque dodrantes longum, anserinam pennam crassum, lignosum, ra-

misque emicantem refertis foliis Mali punici, sed minoribus. Semiuncia radicum ex aqua devorata medetur fluxibus, sed praecipuè dysentericis.

CAPUT XC.

De altera AXOCHITL.

Nascitur et alia AXOCHITL *Cocolani*, radices fundens similes fibris, et ex his caules teretes, laeves, cinereos, octo longos cubitos, et in eis folia Persici, scabra, atque venosa, ac florem e luteo fulvescentem, modicum circa singulos foliorum exortus. Sapore Peponem amarum aemulatur, ac guttur uredine quadam obscura videtur afficere. Lacte manat, quod illitum dentium sedat dolorem. Nascitur in calidis *Cocolani*, prope flumina et aquosa loca.

CAPUT XCI.

De AXOCHITL, *quam alii Cuaztalxochitl, seu florem capitis candentis, alii verò Texoxolin vocant.*

Radicem fert ac folia Caeparum, Narcissive, cujus videtur species: flores et caulem *Omixochitl*, verè prodeuntes. Lubricitatem quamdam cum amaritudine participat, ac nonnullum calorem. Tumoribus pedum et lichenibus ajunt auxiliari, tumores praeter naturam pellere, nomasque et depascentia curare ulcera. Radix laevigata, et semiunciae

pondere ex aqua bibita dysenterias coercet. Succus verò ejus, si tantumdem urinae humanae permisceatur, et naribus instilletur, sanguinem fluentem sistit. Mexicanis provenit agris.

CAPUT XCII.

De ATLANCHANE, *seu herba aquosis in locis proveniente.*

Radicibus innititur ATLANCHANE surculosis, e quibus profert ramos longos, teretes, laeves, fulvos, cavos, ac repentes humi, nec pennis Anserum crassiores: et in his folia paene saligna, ac flores in postremis ramulis oblongos, vasculis fulvescentibus persimiles. Frigida radices et sicca natura constant, laxa adstringunt, dysenterias cohibent, ac ceteras paene defluxiones eodem modo coercent.

CAPUT XCIII.

De altera ATLANCHANE.

Radice firmatur *altera* ATLANCHANE prolixa, candenti, ac minimum digitum crassa, capillataque; ex qua profert caules, et in eis folia oblonga, et mollia. Frigefacit, et nonnihil etiam adstringit cum quadam dulcedine. Usus est perfrigerandi eos, qui a vehementi febre uruntur, cum nonnulla laxitate ventriculi aut alvi.

CAPUT XCIV.

De ATLINAN, *seu herba juxta fluvios, aquasve proveniente.*

Frutex est ATLINAN radici innixus crassae, atque surculosae, unde caules eduntur, et in eis folia in longum producta, angusta, subalbida, serrata, hirsuta, et ferè saligna, ac flores candentes et magnos: radix castaneas inveteratas sapit; folia, quae odora sunt, resinam. Herba verò tota calida et sicca constat natura. Folia pugilli mensura tusa, et matutino tempore devorata febres finiunt, vacuata supernè atque infernè pituita, et bili citra molestiam ullam. Infunduntur eadem paulò majori pondere, ac per inferna praedictos humores trahunt. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus* prope rivos ac flumina, campestribusve ac planis locis.

CAPUT XCV.

De ATLINAN *circinata.*

Radices fundit ATLINAN *circinata*, quam alii *Apatli*, seu *medicamentum nascens juxta aquas* vocare malint, capillis similes, et ex his caules rotundos, hirsutos, rubescentes, et quatuor cubitos longos: folia Salviae similia, sed majora et aspera, Cirsiive, quod *Buglossum* quipiam vocant: flores toto caulium procursu e pallido rubescentes, ob-

longos et loculis haud absimiles, unde calyculus prodit ovi figura, plenus semine gracili et fulvo. Radix ac folia trita, et in farinam redacta ulceribus putridis, si illis inspergas, medentur; frigida enim, siccaque et adstringenti constant temperie: quin diarrhoeas sistunt, dysenterias cohibent, ceterasque defluxiones, maximè si ex calida causa ortum ducant, coërcent. Nascitur in calidis, quales sunt agri *Hoaxtepecenses*, in planis ac campestribus locis.

CAPUT XCVI.

De APATLI *Mayanalanensi.*

Caules profert APATLI *Mayanalanensis* cinereos, teretes, ac binos cubitos longos, oblonga et parva folia, siliquas longas et exiles, semine refertas longiusculo et nigro, appensis candidis filamentis. Amaro sapore constat, calidaque et sicca temperie. Folia in farinam redacta inspersaque ulcera curant, infrigidata calefaciunt, et laxa debiliaque corroborant. Nascitur apud *Mayanalanenses*, unde cognomen.

CAPUT XCVII.

De XANATL, *seu latere crudo aquae.*

Frutex est XANATL quaternos quinosve prolixus cubitos, caules fundens e fibrata radice plenos lenta medulla, geniculatos, contortos, et ficulneis similes, in eisque

folia Mori, quamvis minora, rara, ac multis nerveis discursibus distincta, ac flores *Hoauhtli.* Jus decocti foliorum medetur torminibus enixarum, et earumdem imbecillitati succurrit. Nascitur in calidis *Papaloticpac*, humectis et aquosis locis, unde nomen. Sunt et aliae plantae, quae ab aqua nuncupationem traxere, sed quoniam ad Filices pertinere videntur, in eum locum relinquentur describendae.

CAPUT XCVIII.

De ACHIOTL, *seu medicina tingendo apta.*

Achiotl quam *Mechuacanenses Chacangariqua*, et interdum quoque *Pamacua* nuncupant, arbor est magnitudine, stipite, atque omni prorsus forma Mali Medicae, foliis Ulmeis figura, asperitate et virore similibus: colore extrinseco corticis trunci et ramorum fulvo: intrinseco verò in viridem magis inclinante, et ligno ipso aculeato et candenti, floribus magnis, stellatis, quinorum foliorum, ex albo rubescentibus, et fructu erinaceis simili, amygdalarum viridium, parvarumque forma et magnitudine, quatuor modicis distincto angulis, qui secundùm longitudinem discurrunt. Hi cum maturi sunt, dehiscunt, ostenduntque intra cavitatem grana quaedam, acinis uvarum forma similia, admodum rubescentia, frigida ordine tertio, et nonnullam siccitatem, adstrictionemque participantia. Regioni-

bus provenit calidis, locis potiùs siccis, quàm humidis. Indi maximi aestimant hanc arborem, atque ideo eam juxta domicilia serere consueverunt. Folia fert toto anno, ac fructum vere edit, quo etiam tempore colligi solet. Materies utilis est igni velut e silice excitando, si lignum ligno fricetur: cortex verò funibus texendis, qui sunt cannabinis firmiores, ac semen Pictoribus coccineo colori exprimendo, innatans liquori aequè frigido, nec minùs utili Medicis: exstinguit enim epotus, aut admotus febrientium incendia, opitulatur dysentericis, repellitque tumores praeter naturam, quo fit ut epithematis, frigorificis potionibus, vocatis *Julapiis*, et quibusvis infrigidantibus cibariis, et medicamentis, misceri perquam accommodè possit. Additur semen *Cacaoatl* refrigerii gratia, comendandique coloris atque saporis. Dentium dolores a causa calida ortos levat, corroborat, evocat urinam, sitim exstinguit, ac croci apud aliquas gentes gerit vicem. Excipiunt parando pigmento grana jam matura, ac in calentem aquam projiciunt, agitantque continenter eodem semper modo, donec totus paene color aquae haereat: permittunt demum subsidere, ac in placentulas efformant, eodem paene modo, quo diximus *Anil*, seu *Mohuitli* parari ex *Xiuhquilitl*, ut cum opus sit, in usus evocentur. Est verò adeo tenax hoc pigmenti genus, ut semel illitum vix, etsi vehementer exter-

gas, possit deleri: urinae autem permistum, sit indelebile. Adstringit nonnihil, ideoque cum resina permistum medetur scabiei atque ulceribus, ventriculum corroborat, fluxum alvi cohibet, lac auget permistum crustis *Cacaoatl*, quem reddit innoxium, quacumque mensura bibatur; ejus siquidem gratia, facilè ac citra satietatis incommodum solet concoqui. Provenit in calidis plagis, qualis est *Hoitzocensis*.

CAPUT XCIX.

De AHOYACPATLI, *seu suavi et odora medicina.*

Musci species est saxis apud *Mecatlanenses* adhaerens, aut truncis arborum, qui nascuntur juxta aquas. Folia profert exilia, Origanum resipientia, acri, calidaque et sicca ordine tertio constantia natura. Pectori confert, ventriculum calefacit, flatus discutit, colicos dolores levat, hujusmodique praestat alia, quae effici solent a rebus hujusmodi praeditis temperamento.

CAPUT C.

De AHUYACPATLI *Ocymi folia referente.*

Herba est tres dodrantes longa, radicibus fibratis innixa, et caules fundens virentes, sarmentosos, ac geniculatos: et in eis folia Ocymi, sed productiora, et mucronata. Frigida, humentique natura constat, odore verò et sapore

insigni nullo. Jus decocti ejus bibitur adversùs febrium ardores. Nascitur in calidis ac montosis locis *Papaloticpaci.*

CAPUT CI.

De AHUYACTLACOTL, *seu Virga suavi.*

Radice innititur AHUYACTLACOTL transversa et fibrata, e qua profert stipitem quatuor cubitos longum, laevem, ac teretem, Urticae folia, et flores candentes, in umbellam compositos. Odore constat Rhodomellis, ac alterius Sisymbrii sapore, non sine quodam calore et acrimonia, ac tandem Lilium olet. Jus decocti ejus, in quod lapis ignitus injectus sit, dysenteriis opitulatur. Provenit *Xicotepeci*, montanis, atque etiam campestribus locis. Sunt et aliae plantae eodem nomine; verùm quoniam ad alterum genus videntur pertinere, in propria loca servabuntur describendae.

CAPUT CII.

De AHOACAXOCHITL, *seu flore Ahoacatl.*

Arbor est parva, multos proferens ramos, folia Ilicis serrata et oblonga, ac florem in spicas compositum ex albo pallescentem. Laurum olet, in cujus fortassis species referenda est. Pulvis ejus et recentibus et inveteratis medetur plagis. Provenit *Matlactlani*, montanis, asperis ac saxosis locis.

CAPUT CIII.

De AHOACAQUAHUITL, *seu arbore Quercui simili, cui fructus appendet.*

Arbos est procera, Mali Medicae foliis, virentioribus, amplioribus, et asperioribus: flore parvo, ex albo pallescenti: fructu ovi forma, sed quibusdam in locis longè ampliori, aut si mavis ficuum praecocium figura et magnitudine, extra nigro, intra virescenti, pingui, qua butyrum aemulatur, natura, et sapore viridium nucum. Folia sunt odora, calidaeque et siccae ordine secundo temperiei, quamobrem commodè lotionibus adhibentur: poma quoque calefaciunt, gustui sunt grata, et non omnino malae alimoniae, sed pinguis, humentisque et venerem mirum in modum excitantis, augentisque semen: haec nucleos continent e candido in rubrum vergentes, solidos, densos, nitidos, atque in duas partes fissos, velut amygdalae, quamvis oblongi sint et columbinis ovis paulò ampliores. Hi sapore amygdalarum amararum constant, funduntque, si praelo comprimantur, oleum amygdalino haud absimile non odore modo, sed sapore quoque et facultate: medetur impetigini, stygmatisque, et adstrictione quadam opitulatur dysentericis, ac findi capillos prohibet. Arbos toto anno viret, et quibusvis regionibus sponte, aut

culta adolescit ac gaudet, calidioribus tamen, planisque locis laetior provenit, et in majorem assurgit amplitudinem.

CAPUT CIV.

De AHOACAQUAHUITL *secunda, seu montano Ahoacatl.*

Folia fert minora AHOACAQUAHUITL, rubentiores stipites, ac fructum hortensi, campestrive longè minorem, ut qui pruna, quae a *Damasco* nomen traxere, magnitudine non excedat, ceterùm forma atque natura eadem. Nascitur in incultis, montosis et asperis locis.

CAPUT CV.

De TLALAHOACATL, *seu Ahoacatl humili.*

Herba est TLALAHOACATL radici insistens luteae, atque capillatae, unde profert caulem virentem, tenuem et rotundum, plenum ramulis per intervalla exilibus, et in eis folia Corrudae, terna tamen, ac tenuiora, et luteos flores, exilibus, oblongisque vasculis contentos: cujus nullam adhuc insignem facultatem accepi.

CAPUT CVI.

De ACAXAXAN, *seu planta palustri et lenta, quaeque statim comprimentibus cedat digitis.*

Herba est ACAXAXAN, quam alii *Tochnacaztli*, seu *da-*

sipodis auriculam a foliorum similitudine vocant, juxta rivos ac lacus proveniens, radice longa, et circa geniculos fibrata, caule gramineo aut arundinaceo, et eodem modo geniculis internodiisque distincto, ac foliis similibus Potamogeto, cujus videtur species, postremò rubescentibus: floreque coccineo et parvo. Duas hujus plantae reperias differentias, viribus formaque persimiles. Utraque frigefacienti humentique natura constat, febres sedat, scabiem et dysenterias curat, animi deliquio subvenit, pellit vanos timores, et languenti cordi opitulatur. Provenit temperatis regionibus, aut aliquantò calidioribus, qualis est Mexicana, juxta palustria et aquosa loca.

CAPUT CVII.

De ACAXOCHITL *Chichiltic, seu flore arundinaceo coccineo.*

Radicem fundit ACAXOCHITL *Chichiltic* crassam et fibratam, et ex ea caules teretes, cavos et rubeos, folia Arundinis, Maiziive, unde nomen: flores coccineos, longos, et summo caule signorum forma prodeuntes. Radix est dulcis, lubrica, et ulceribus medetur: floris etiam odorisque usum praebet, et spectabili placet pulchritudine. Est et alia planta ei congener, formaque universim persimili, sed omni ex parte minor, ac floribus ex albo rubescentibus: quamobrem praecedentem coccineam vocavi.

CAPUT CVIII.

De ACACAPAQUILITL, *seu olere crepitante in aquis.*

Lacustris herba est ACACAPAQUILITL, radicibus innixa capillis similibus, hinc inde ab ipso complexu caulium procedentibus; qui cavi sunt, purpurei, rotundi, laeves, ac mediocriter crassi; unde folia prodeunt rara, longa, angusta, et similia arundineis, quamquam minora, nervis multis secundùm longitudinem discurrentibus, ac flores Chamaemeli. Frigidae est, atque humentis naturae: pro olere cruda, atque cocta estur. Toto anno vivit in Mexicana palude, ni gelida obsit hiems, floresque cum ceteris producit herbis.

CAPUT CIX.

De ACACAPAXIHUITL, *seu herba crepitante in aquis.*

Radicibus innititur ACACAPAXIHUITL tenuibus et albis, e quibus fundit caulem quadratum, virescentem, striatum, cavum, sex circiter cubitos longum, et in eo mucronata et numerosa folia, siliquas tenues et prolixas, ac florem luteum. Foetidum odorem spirat, frigida constat temperie, ac febres quocumque modo admoveatur exstinguit. Provenit apud ferventes agros *Tepecuacuilci.*

CAPUT CX.

De ACAQUILITL, *seu olere simili Arundini.*

Herba est palustris, edulis, radicibus capillis similibus, caule cavo, purpureo, salignis foliis, flore Chrysanthemi, sed umbilico purpureo. Calida, siccaque natura constat, tenuibusque partibus, et ad attenuans victus institutum pertinentibus. Nascitur juxta stagnantes, aut lentè fluentes aquas locorum ad temperiem pertinentium, aut paulò calidiorum, ac nominatim juxta paludem Mexicanam.

CAPUT CXI.

De CHIMALACATL *Acatlicpacensi, seu cetra arundinea.*

Radicem fundit CHIMALACATL *Acatlicpacensis* magnam, et surculosam, caules scabros, teretes, et geniculatos: et in eis folia aspera, subalbida, oblonga, serrata, et juxta exortum nullis laciniata crenis, angusta et Intybo quadamtenus similia: florem album in postremis caulibus vasculorum figura, parvum, oblongum, velut aggregatum in comam, ac rorem caeli ita excipientem, ut ab eo, qui sugat, praedulcem hauriat liquorem. Calida, siccaque ordine secundo natura constat, et nonnihil acri sapore. Extergit redacta in farinam radix ulcera, confert surditati ac saniem exsiccat. Nascitur in calidis *Acatlicpacensibus*, multisque aliis in locis.

CAPUT CXII.

De altera CHIMALACATL.

Frutex est radici innixus magnae, auctae surculis, ex qua oriuntur caules quadrati, pennati, et purpurei: et in eis folia magna, firma, asperaque, intercurrentibus venis purpurascentibus, et Intybo quadamtenus similia: ac flores candentes; verùm hujus nullum adhuc usum cognovi.

CAPUT CXIII.

De CHIMALACATL *Peruina, seu magna, quam alii florem Solis vocare solent.*

Radices fundit CHIMALACATL, quam *Anthilion* vocare possis, fibris similes, ex quibus unicum profert caulem, in arboris altitudinem assurgentem, brachium crassum, rotundum, cavum, atque exsaturato colore virescentem: et in eo folia magna, serrata, infernè candescentia, et Urticae aemulantia formam: flores orbiculares, dodrante (portento simile) ampliores, luteos, et nonnihil juxta mediam orbitam flavescentes. Subsunt semina illis Melopeponum forma, etsi teretia sint, lenitate, temperie, ac cetera ferè natura similia: quae licet liberaliùs devorata dolorem capitis excitent, pectus tamen leniunt, ardorem exstinguunt, et apud aliquas gentes tusa, coacta in panem assaque frumenti

praestant usum. Nascitur quibusvis locis planis atque campestribus, laetior tamen campestribus et cultis.

CAPUT CXIV.

De CHIMALACAXOCHITL, *seu flore Chimalacatl.*

Radicem mittit CHIMALACAXOCHITL Raphano similem, ex qua funduntur caules multi ac fulvescentes, folia Ocymo proxima, ac flores in ultimis ramulis purpurascentes, coacervati in capitula, moris haud disparia; cujus adhuc nullam vim accepi.

CAPUT CXV.

De ACATZANAYCXITL, *seu sturnipede.*

Radicibus innititur capillis similibus ACATZANAYCXITL ac fusci coloris; e quibus profert caules teretes, tenues, laeves, nitidos, e purpureo in nigrum colorem tendentes, ac similes Adianto: et in eis folia tenuia et longiuscula, terna per intervalla, ac pedibus digitisve Sturnorum similia, unde sortita est nomen. Ad Adianti species videtur haec planta pertinere. Frigida, siccaque et adstringenti natura constat, et ideo adjuncta *Tlalahoehoetl*, et *Texcalpachtli Xalatlauhcensi*, medetur diarrhoeis. Provenit montosis atque saxosis locis.

CAPUT CXVI.

De ACAXILOTIC, *seu Maizii culmo aut arundine.*

Acaxilotic, quam alii *Cexochitl* seu *florem unicum*, alii *Nextamalxochitl* seu *florem frumenti indici Tlaollive decocti*, alii *Teuhxochitl* seu *florem Principis*, ac demum alii *Eloxochitl floremve Eloti* nuncupare solent (vocant autem Mexicani *Eloten* spicam illam seu basim praedicti frumenti, quam undique acervatim constipant grana) radicem fundit longam, crassiusculam, ac sensim gracilescentem, fibratamque, aut surculosam; e qua multi prodeunt stipites recti, teretes, tenues et in fulvum vergentes colorem, praecipuè juxta exortum foliorum, quae *Tyauhtlinis*, Polygonive similia sunt, majora tamen, ordine circa caulem utrinque disposita, Raphanum olentia, et flores per extremas partes caulium ternis velut coronis ambientes, cyaneos, oblongos, et circa ultima labra crenatos. Sapor est paululùm amarus, odor ferè nullus, ac vires calorificae et salinosae: febres interpellatas illita aut pota sedat, trium drachmarum pondere ventris necat tineas, bilimque egregiè purgat. Solet autem misceri aequis portionibus *Tlapalezpatli*, *Cicimatic*, *Pitzahoac*, *Tlalcacahoatl*, *Eloxochitl*, et omnium pariter contusarum duae sextulae ex aqua devorari ad nimias mensium alvique fluxiones coër-

cendas. Temperatis ac planis locis gaudet, aut paulò calidioribus montosisque, velut apud *Xochimilcenses*, a quibus accepi, tumoribus praeter naturam non sine maxima utilitate applicari, aut his, qui febre ardenti, aut sinocho correpti punctis toto corpore inficiuntur, pulsis fortassis per cutem humoribus, tabescentes impinguare, et appositam capiti desipientibus opem ferre.

CAPUT CXVII.

De ACAZACATL, *seu pabulo arundineo.*

Herba est ACAZACATL nostratibus Carrectis persimilis, frigida et humenti natura, et cujus decocti jure febrientes Indi medici lavare praecipiant. Humectis et lacustribus locis nasci gaudet, et regiones amat frigidas, aut temperatas.

CAPUT CXVIII.

De ACAQUITL *Mecatl, seu herba volubili arundinea.*

Genus est volubilis ACAQUITL *Mecatl*, calyces proferens ea parte, qua proxima est pediculo, purpureos, ac circa extremum candidos, nec dissimilis cyaneis, qui jam in Hispanias delati sunt, ni illi cyanei essent, nam et folia Hederae constant figura; quo fit ut congeneres esse utrasque has plantas, quisquam nec immeritò arbitrari possit. Frigida natura constat, quamobrem febrientibus pueris so-

lent eam illinire. Nascitur juxta aquarum ductus, alveos, et rivulos *Hoaxtepecenses*, multisque aliis simili calore locis.

CAPUT CXIX.

De CHICOMACATL, *seu sextuplici Arundine.*

Volubilis planta est, quae licèt vix hominis longitudinem superet, aut femoris crassitudinem, tamen si arborem quampiam excelsam proximè nanciscatur, illam amplexa in summum cacumen conscendit, stipitem profert fuscum, virentes ramos, folia Mali Medicae, sed majora: florem album, exiguum, ac fructum nullum. Sapore et odore insigni caret, frigefacientique et lubrica constat natura: florum ejus aqua stillatitia inflammationibus narium, oris, et oculorum solet auxiliari, folia devorantur semiunciae pondere adversus dysenterias, lassitudines ac casus, et sanguinis vomitiones: tumores repellunt et coërcent ictis locis applicata, succurrunt plagis, ac febres sedant. Provenit temperatis et frigidis regionibus, montosis planisque locis, velut *Quauhehinanci*, *Quauhtepeci*, et *Totolapae.*

CAPUT CXX.

De QUAMALACATL, *seu fuso ligneo.*

Arbor est parva folia ferens *Xochinacaztli*, sed asperiora, brevioraque, et interdum illis Olivae minimè majora:

acinos ternos toto caulis procursu, parvos, ac luteos, et circa foliorum minorum exortum prodeuntes. *Tetzcoqui* eam vidimus, ubi quamquam nullum ejus usum potuerimus expiscari, ob ejus pulchritudinem historiam nostram naturalem censuimus non dedecere, ideoque illam curavimus et depingendam, et describendam.

CAPUT CXXI.

De TEPEACAXOCHITL, *seu flore Arundinis montanae.*

Radice firmatur TEPEACAXOCHITL, quam Mechoacanenses *Cahoaxen* vocant, longa, crassaque, fibrata ac sensim gracilescente, e qua proferuntur caules rubei, et in eis saligna folia, ac flores longi, vasculorum figura, prolixis pediculis appensi, et rubescentes e pallido. Infusae radices dysentericis dicuntur mederi.

CAPUT CXXII.

De TOCHACATL, *seu dasipodis Arundine.*

Inutilis herba est TOCHACATL, atque supervacanea, ut quae ad medicamenta non spectet, verùm tamen ab historia naturali minimè abhorret, ob formam ejus peregrinam, atque visendam, comantibus undique luteis floribus, caulibusque senis angulis pennatis insignibus, foliis asperis, et quae senos manus forma digitos ostentent. Nascitur *Tepoztlani.*

CAPUT CXXIII.

De TOCH *Acaxihuitl, seu herba Dasipodis arundinacei.*

Herba est TOCH *Acaxihuitl* radici fibratae insistens, profert caules multos, prolixos, teretes: et e singulis geniculis bina folia, serrata, Urticae aut Ocymo similia, et juxta unumquodque illorum bina alia, eadem figura, longè tamen minora. Herba est acris, odora, calidaque et sicca ordine quarto, sapore et odore Pulegii, adeoque ejus species, sed magna ac octo dodrantes longa. Utuntur ea Indi Medici suffiendis his qui capitis dolorem a frigore ortum patiuntur. Nascitur *Tepoztlani.*

CAPUT CXXIV.

De altera TOCH *Acaxihuitl.*

Volubilis est TOCH *Acaxihuitl altera* per terram repens, Pyri folia proferens, hirsuta et squallida, ac fructum Ciceris, in cuspidem desinentem, de qua nihil insigne accepi. Nascitur *Ytztocani.*

CAPUT CXXV.

De altera TOCHACATL.

Radicibus firmatur *altera* TOCHACATL surculosis multisque: e quibus fundit caules hominis aequantes altitudinem,

lentos, plenos medulla, et virore tinctos exsaturato: folia rara, mollia ac similia amygdalinis: flores exiles et candidos, micantes per imbres. Cortex radicis est expers saporis et odoris, frigidaque et humida natura; atque ita semiunciae pondere devoratus auxiliatur febrientibus. Nascitur in calidis *Acatlicpac.*

CAPUT CXXVI.

De TLATLAUHQUICHICOMACATL, *seu herba rubea septem Arundinum.*

Herba est TLATLAUHQUICHICOMACATL fibratae insistens radici, e qua prodeunt stipites geniculati, et fragiles: folia Limonis oblongiora, et mucronata hirsutaque: flores ex luteo rubescentes, longiusculi, et vasculorum figura toto caulium procursu. Auxiliari dicitur enixis haud aliter ac *Cihoapatli* genera, quae magna ex parte calefacientia atque exsiccantia sunt, subtiliumque partium. Provenit verò in calidis regionibus.

CAPUT CXXVII.

De YZTACCHACOMACATL, *seu Chicomacatl alba.*

Radice firmatur YZTACCHACOMACATL crassa, fibrata et longa, ex qua profert stipites, et in eis folia Plantaginis minora, nervis in obliquum procedentibus distincta, ac flo-

res candentes. Propinatur radix redacta in farinam ictis, aut his qui ab excelso quopiam loco sunt exautorati, nec aliter ac pulvis ille, cui a casu, contra quem valet, est inditum nomen ab officinis. Provenit in faucibus montium calidarum regionum.

CAPUT CXXVIII.

De ACACOYOTL *prima, seu Arundine vulpis.*

Herba est proferens caulem prolixum, arundinaceum, pollice crassiorem, et exsaturato virore nitentem: folia ampla, pinguia, longa, multis exilibusque interveniis obliquè a dorso in utramque partem discurrentibus: flores in corymborum formam compositos juxta caulium cacumina, longiusculos, aurei coloris, et pulchros spectatu; e quorum singulis prodeunt semina, fusca, dura, orbicularia, ponticis nucibus paulò minora. Quorum genera nostri, ad quos jam diu ferri coepit, lacrymas, Mosi nuncupare solent. Nihil verò habet insigne praeter spectandam amplitudinem foliorum, et aureos flosculos. Semina praedura sunt et visendae rotunditatis. Provenit temperatis locis, aut paulò calidioribus.

CAPUT CXXIX.

De altera ACACOYOTL.

ACACOYOTL, quam alii *Acoyo*, alii *Acoyotl* vocant, ra-

dicem fundit fibratam, et ex hac caules crassos, quinque cubitos longos, folia magna cordis paene figura, florem Piperi longo similem. Calefacit, exsiccatque ordine tertio, gustu est valde odorata et suavis, saporemque et odorem Caucalidis et Cinnamomi, Anisive praefert. Cauliculi teneri, qui foeniculacei videntur, edules sunt, et saccharo etiam condiri plerumque solent, et quamquam Aniso facultatibus omnino videatur similis, nisi quod aliquanto est adstringentior, ab Indis, qui unam aut alteram herbarum norunt facultatem, alvum tantùm dicitur cohibere, inflamationemque ejus et dolorem tollere. Hujus fortassis species est *Acueyo*, aut eadem natalibus tantùm differens, de qua suo loco dicemus. Provenit in calidis *Pahuatlanensibus* juxta rivos.

CAPUT CXXX.

De ACAQUILITL *secunda.*

Radicibus insistit ACAQUILITL *secunda* fibr similibus, e quibus edit caules purpureos et arundinaceos, unde nomen, folia saligna, sed minora, flores stellatos, e luteo rubescentes. Edulis est, ut indicat nomen, nasciturque palustribus et aquosis locis.

CAPUT CXXXI.

De TEPEACATL, *seu Arundine montana.*

Est et TEPEACATL nullius usus, sed visenda forma, quae radicem fundit longam, tenuem, et fibratam: ex hac caulem unicum virentem, unde prodeunt rami: et in eis folia longiuscula et angusta, acuminataque: praeterea in aliis foliorum expertibus, ac superiori parte prodeuntibus flosculi ex albo rubescentes parvuli et obrotundi, septeni octonive. Nascitur in regionibus temperatis, aut paulò frigidioribus, qualis est *Xochimilcensis*, aut *Tetzcoquincensis*, udis ac palustribus locis. Est et alia planta, quae ab Arundinibus nomen quoque sumsit, verùm quoniam ad species *Metl* videatur pertinere, in proprium locum differetur describenda.

CAPUT CXXXII.

De ACUITZEHUARIRACUA, *seu herba adversa venenis.*

Quam Mechoacanenses, apud quos nascitur, *Acuichehuariraquam* seu *Huichoquachaquam*, Mexicani verò a frigida temperie, et radicis candore *Chipaoacyztic*, atque alii ab ipsa facultate *venenorum hostem* aut *antidotum* vocare solent, radice constat obrotunda, Malocotoneo parvo simili, sed candido intus colore, extra verò fulvescente; e qua mittit caules rotundos, sesquidodrantem longos, te-

nerosque, et in eorum suprema parte flores parvos ex candido rubescentes et coacervatos in orbiculos, folia verò Rumicis, ab ipsa statim radice prodeuntia. Radix, cujus est praecipuus usus in medicina, aequali, aut paulò frigidiore et humidiore natura constat, ac sapore grato et dulci. Succus ejus, stillatitiusve liquor epotus, qua libeat, mensura, febrium ardores sedat, corroborat, venenatarum potionum, ictuumque promptissimum tutissimumque est remedium, et maximè scorpionum; alexiterii et alexipharmaci praestantissimi vicem subit, praesertim, si radix quoque ipsa tusa malagmatis aut emplastri forma imponatur. Renum ardorem exstinguit, tumores faucium, ac pectoris dolores sedat, urinae obtundit acrimoniam, excitat appetentiam, et mira quadam et occulta proprietate morborum omnium, quocumque modo ea utare, remedium est. Audio alteram hujus herbae speciem nasci apud Mechoacanenses Baccharis foliis, *Ucuro* vocatam ab indigenis, ab aliis verò non sine errore Scorzoneram, quam adhuc videre mihi non contigit. Regionibus quibusque temperatis provenit, aut paulò calidioribus, humectis ac planis locis. Posset facilè deportari in Hispania, et eo caelo vivere, praecipuè si in calidiora loca transferatur, quippe quae adeo sit vivax, ut reposita ubivis caulescat, stipitesque nulla humoris vi adstipulante consuescat sponte sua proferre.

CAPUT CXXXIII.

De AQUIZTLI, *seu herba illustrante.*

Volubilis sarmentosi genus est AQUIZTLI, foliis *Tzitzin*, Ulmive, acinoso fructu, pediculis rubris, acido sapore, frigidaque, sicca, et adstringenti natura. Ajunt etiam insanire eos, qui hanc plantam degustaverint. Provenit *Xicotepeci.*

CAPUT CXXXIV.

De altera AQUIZTLI.

Volubilis genus est arbores vicinas scandens, caulesque et ramos fundens purpureis punctis interstinctos: et in eis folia oblonga, sinuosa, purpurascentia, terna, et Coriano non omnino dissimilia. Frigida et sicca constat temperie, et insignis est saporis et odoris expers; cujus succus potatus sex unciarum pondere medetur scabiei, et e gallico vocato morbo suscitatis eruptionibus; folia verò imposita lichenibus. Sunt qui id genus herbae *Caquiztli* vocent. Nascitur *Xilotepeci* Volubilis eodem nomine, foliis Menthae quaternis, cujus umbra subter dormientibus capillorum defluvium dicatur inferre, sed eam velut inutilem depingendam non curavimus.

CAPUT CXXXV.

De YZTACAQUIZTLI, *seu Aquiztli alba.*

YZTACAQUIZTLI, quam alii *Yztacquahuitl*, seu *lignum candens* vocant, radicibus insistit crassis ac cubitum longis, extra fulvis, ac intus candescentibus: ex quibus oriuntur caules tenues multi, quatuor spithamas longi, et in his folia oblonga, Quercui similia, angulosa, et in acumen desinentia, et flores e luteo purpurascentes. Cortex radicis tritus, atque e liquore aliquo devoratus duarum drachmarum pondere diarrhoeas compescit: verùm opus esse ajunt, adstricta jam mediocriter alvo, et paene cessante fluxu, ea, quae interiora sunt, eadem mensura propinari, quoniam licèt non adeo adstringant, defluxione tamen jam a cortice retenta alvum confirmant ac corroborant.

CAPUT CXXXVI.

De AQUIZTIHOETZI, *seu frutice in dorsum decumbenti.*

Frutex est fulvi caulis, foliis *Hoaxin*, floribus luteis, ac fructu acinoso. Radix tusa, et admota, ulcera curat. Frigida enim est et sicca natura, adstringentique, sicut ceterae *Hoaxim* species, facultate constat. Virus ingratum et *Hoeimochitl* proximum fundit. Provenit locis planis et campestribus regionum calidarum, quale est *Tlaquiltenancum.*

CAPUT CXXXVII.

De AQUIZTLI *prima.*

Radices fundit AQUIZTLI *prima*, fibris similes ac rubeas, et ex eis caules quadratos, rectosque, ac per intervalla folia bina Ocymi, minora tamen, et illis Origani proxima, minimèque serrata: flores cyaneos, longiusculos, ternosque, ex utraque caulis parte binis foliolis circumdatos. Amara est, acris, calidaeque, et siccae tertio ferè ordine temperiei. Folia contusa et resoluta ex aqua scabiei dicuntur mederi, si corpori illinantur. Jus verò decocti eorumdem bibitum sudores elicit; quin hi, qui sanguinem mejunt, e vestigio restitui sanitati dicuntur, si vaporem vini *Metl* (quod *album Pulque* vocant) cui herba haec incocta sit, excipiant, modo a suffito cubitum eant, pannis se contegant, ac sudori studeant eliciendo. Nascitur Mexicanis jugis.

CAPUT CXXXVIII.

De CAQUIZTLI *secunda.*

Frutex est folia ferens supernè viridia, infernè squallida, exilia, ac Persici forma, sed latiora: fructum orbicularem, parvum, Coriano similem, ac racematim dependentem: intus semina orbicularia, virore diluto tincta, quae tandem nigrescunt. Calefacit, exsiccatque ordine primo.

Succus foliorum bibitus ex aqua dolorem ventris a frigida causa exsuscitatum sedat, et tamen sunt qui dicant aqua permistum exstinguere febres.

CAPUT CXXXIX.

De CAQUITZTLI *Hueitlalpae.*

Volubilis planta est sylvarum sese arboribus convolvens, foliis obrotundis, acuminatis et magnis, Mali Medicae quadamtenus similibus, flore fructuque uvis, cum florent, paribus, sed rubescentibus. Venenatam ajunt esse plantam, et quae si devoretur, statim insaniam generet interimatque, et si ulcerosae carni admoveatur, quidquid attigerit, corrodat, atque putrefaciat.

CAPUT CXL.

De TEMPIXQUIZTLI, *seu medicina adstringente os.*

Arbor est magna, spiniferaque; folia ferens obrotunda, Mali Medicae paene forma et magnitudine, sed albidiora, et infernè hirsuta: fructum Nuci Juglandi, Prunove haud disparem, glutinosum et jucundi saporis: florem ex albo flavescentem, exilem, et in ramorum procursu, ab exortu ipso foliorum, utrinque binum. Jus decocti foliorum instillatum naribus, auribusque, aut ipsa folia cineribus calefacta, et admota dentibus, illorum dolorem egregiè sedant,

gingivasque corroborant. Provenit in calidis *Teocaltzinci*, et *Metztitlani*, juxta colles.

CAPUT CXLI.

De QUAUHYZQUIZTLI, *seu planta scoparum.*

Quauhyzquiztli, quam alii *Tepopotli* seu *scopas* vocant, alii *Huitzpatli*, radice firmatur Raphani, surculosa, ex qua fundit plures ramos, tenues, teretes et lignosos, fragiles refertosque foliis longiusculis, angustis, serratis, et Chamaedryos foliis quadamtenus similibus. Usus est radicis: haec acris est, et aliquantulùm amara, urensque guttur. Calefacit exsiccatque tertio ferè ordine, et partes tenues sortitur. Jus decocti foliorum, addito cortice *Nantzin*, et *Quauhpatli*, propinatur pro ejus gentis more in balneo recenter enixis corroborationis gratia, per se verò infunditur his, quibus urina suppressa est, alvo adstrictis; dolentibus auribus, et dentibus malè habentibus mirè opitulatur; instillatum verò naribus sternutamentum ciet, et pituitam evocat, admota folia tusa et capiti applicata his, quibus capilli defluxere, faciunt renasci, venenatorumque animalium ictibus succurrunt. Nascitur in calidis frigidisque locis, collibus atque convallibus. *Pazcuarenses Caratacuam* vocant, ajuntque jus decocti ejus infusum ventrem purgare, ac flatum discutere.

CAPUT CXLII.

De AYAQUICUERAMO, *seu ligno picto.*

AYAQUICUERAMO, quam Mexicani, apud quos etiam nascitur, *Tlacuilolquahuitl* seu *arborem pictam*, alii verò *Ocelolquahuitl* seu *tigridis arborem* vocant, in calidis Mechoacanensis provinciae regionibus copiosè provenire solet, arbor nempe magna, comataque, foliis ulmeis, tamen graciliоribus, discolore materie, et quae praeterquam quod in aquas conjecta, statim mergitur et ima petit, operibus intestinis, et torno interpolandis aptissima est, longèque grato odore et aspectu. Oleum inde stillat styracem olens, et suavem vaporem edens, ad omnia remediorum genera, quibus styrax congruit, perquam accommodum.

CAPUT CXLIII.

De AHUACHPATLI, *seu rorida medicina.*

Herba est AHUACHPATLI binas spithamas longa, humi serpens juxta calidos humentesque agros *Papaloticpaci*, foliaque proferens parva, cordis figura, flaccida et mollia: caules numerosos, exiles, striatos, quadratosque: ac radicem transversam et capillatam. Ad Alsines genera posset nec abs re referri. Frigida enim natura quoque constat, et febres quomodolibet adhibita exstinguere solet, erysi-

pelatis opitulari et tumores repellere, qui praeter naturam sunt.

CAPUT CXLIV.

De AYANQUENI, *seu arbore profundo loco sita.*

Arbor est AYANQUENI stipites laeves et subalbescentes proferens, Mori folia, magna tamen ex parte rubescentia, flores coccineos obrotundosque, fructum corniculis similem, refertum pusillo semine. Nullius, quod adhuc compererim, est haec in medicina usus, sed quoniam foliorum colore spectabilis visa est, icone censuimus exprimendam, describendamque brevibus. Nascitur apud Mechoacanenses.

CAPUT CXLV.

De ATLATZONPILLIN, *seu de aquosa herba, appensa capillo.*

Quem fruticem ob loca, juxta quae nascitur, et pediculos foliorum, quos similes capreolis hinc et inde effundit, ATLATZONPILLIN vocant, alii *Atlatzonpillinxochitl*, id est *florem Atlatzonpillin* vocare malunt. Duas reperias hujus plantae differentias, alteram a rubeo colore rubram, alteram a paulo albidiore appelles licet candidam. Radicem utraque crassam, rubescentem ac fibris refertam fundit: caules lentos, refertos molli medulla, ficulneis proximos, teretes, quatuor cubitos longos, et minimi digiti crassitudine: Vitis viniferae folia in procursu caulis hirsuta ac rara,

florem rubrum et oblongum, e quo fructus generatur ternis capitulis triangulis constans, corallorum instar rubescentibus, cibo idoneis, ac plenis nigro semine. Frigida primo ordine videtur, humidaque et salivosa natura; et ideo aqua, ubi farina radicis stipitisve aliquandiu infusa maduerit, loco fontanae aut fluvialis epota ab his, qui fluxum ventris patiuntur, aut quemvis alium, a causa calida ortum, morbum, brevi curat, urinae ardori et retentioni medetur, necnon et oculorum inflammationibus. Temperato, aut paulò calidiore caelo gaudet, quale est Mexicanum, et *Tetzcoquense*, uliginosoque et campestri solo. Augusto mense flores erumpunt, quibus cum fructu ac foliis decidentibus in annuos usus velli solet radix atque recondi.

CAPUT CXLVI.

De TZONMETL, *seu capillis Maguei.*

Radicem fert TZONMETL surculosam et fibratam, e qua fundit caules tenues, et in eis folia parva, oblonga, serrata, ac per intervalla coacervata, dena undenave, et in summis ramis flores velut in manipulos congestos, e cyaneo purpurascentes, spinosos, et oblongos. Ad Dauci species videtur referenda. Folia tusa et imposita ulceribus medentur. Nascitur apud *Tetzcoquenses* et *Xochimilcenses*, locis temperatis, aut paulò frigidioribus.

CAPUT CXLVII.

De QUAUHTZONTIC, *seu planta capillata.*

Herba est QUAUHTZONTIC dodrantalis, radicem fundens magnam et fibratam, caules teretes atque hirsutos, folia parva, cordis figura, bina per intervalla circa totius caulis procursum, infernè hirsuta, et subalbescentia; ac flores orbiculares et luteos. Sapor foliorum amarus et adstringens est, radicis verò non adeo; cujus pulvis devoratus ex aqua semiunciae pondere valere dicitur adversùs febres.

CAPUT CXLVIII.

De QUAQUAUHTZONTIC, *seu trunco secto.*

QUAQUAUHTZONTIC, quam *Yztacpatli Hoitzocenses* vocant seu *candidam medicinam*, alii *Quaquauhton* seu *truncum parvum*, alii verò *Coatzontecomatl* ob formam radicis rotundam, alii demum *Huehuelicaton*, herba est radicis obrotundae capillataeque; ex qua profert caules cubitum ferè longos et teretes, folia Pyri, utraque ex parte caulis singula, circa nodos orientia: fructum Siliquastro vocato, dum adhuc viride est, persimilem, sed tamen spiniferum, et argentea refertum lanugine, ac semine albo contuso. Radix, quae pepones sapit, subamara est ac vim sortitur, non sine partibus quibusdam calidis, frigorificam. Succus radi-

cis medetur oculis inflammatione laborantibus : eadem in laevorem redacta, potaque ex aqua semiunciae pondere quater quinquiesve, furunculos toti corpori innascentes curat, tusa et apposita dolores antiquos capitis mirè sanat, febres mitigat, urinae calorem temperat, viarum ejus ulcusculis mederi solet, et dolores ventris sedare. Nascitur campestribus locis. Hanc esse existimo eamdem cum praecedenti aetate tantùm differentem, aut illi forma atque facultate parem : verùm cum in dubio esset animus, utramque et depingendam et describendam tutius censuimus.

CAPUT CXLIX.

De QUAQUAUHTZONTIC *secunda.*

Radice firmatur QUAQUAUHTZONTIC *secunda*, longa, surculosa, ac sensim gracilescente ; unde prodeunt caules binas spithamas longi, teretes et purpurei, folia Mali Punici, sed paulò majora asperaque, et fructus striatus, et obrotundus. Radix est frigida, siccaque et adstringens. Scabiei dicitur mederi ac sistere diarrhoeas. Provenit *Chimalhuacani Chalcensis*, *Chietlae*que. Vidi aliam eodem nomine et facultate plantam apud *Ytzocanenses*, sed obtusioribus foliis, quam non duxi depingendam.

CAPUT CL.

De METZONPATLI, *seu medicina capillorum Metl.*

Radicem profert METZONPATLI longam, fibratam et tuberculis interceptam, e qua profert caules volubiles, sex dodrantes longos, sarmentosos, digitum crassos, laeves, teretesque, et in eis folia binos palmos ampla, et ad cordis formam accedentia, supernè viridia, et infernè subalbescentia, multisque distincta interveniis. Saporis et odoris ferè expers est, glutinosa natura, frigidaque et humida temperie. Tusa folia, resolutaque ex aqua propinantur his, qui satietatem patiuntur, semiunciae pondere, quibus soluta alvo delinitaque fortassis confert; nam Indi Medici id testantur se certissimo cognovisse experimento. Nascitur in collibus aut humectis convallibus.

CAPUT CLI.

De TZONPICILTIC, *seu capillis exilibus.*

Herba est TZONPICILTIC praelonga, amplis foliis, orbiculari fructu parvoque, ac tenuibus ramis, unde nomen. Frigida est, et salivosa natura, qua intertrigini dicitur egregiè mederi. Provenit *Mayanalani.*

CAPUT CLII.

De TZONTAPAYOLIUHQUI, *seu capillo rotundo.*

Radicibus firmatur TZONTAPAYOLIUHQUI surculosis, e quibus fundit caules sex spithamas longos, lignososque, folia serrata et oblonga, et florem subalbidum coacervatumque. Odorem gravem spirat; lubricitatis est, atque caloris particeps. Cortex radicis epotus ex aqua duarum drachmarum pondere amovet singultum. Nascitur in collibus *Anenecuilci.*

CAPUT CLIII.

De TZONPOTONIC.

TZONPOTONIC seu *capilli foetidi*, quam alii *Tlacochichic* seu *virgam amaram*, alii verò *amarum florem* vocant, radices fundit fibris similes, et ex eis caules, et folia serrata, ac longiuscula, salignave, flores in summis caulibus candidos, comantes, odoros, et quadamtenus sambucinis similes. Odora est radix resinosaque, calida et sicca ordine tertio, nonnihil adstringens, et amaro sapore. Satietati medetur, appetentiam excitat, trahitque menses. Nascitur in humidis locis juxta aquarum defluxiones. Est et alia species *Ytztactlacochichic* vocata apud *Hoexotzincenses*, tenuioribus foliis, et ad eadem utilis.

CAPUT CLIV.

De TZOTZONTZIN, *seu capillis parvis.*

Folia profert TZOTZONTZIN longa, angusta, porracea, et obducta lanugine, adeo ut posset in Pilosellas, a quibusdam recentiorum vocatas, referri: radicem verò parvam, et obrotundam, candentem, fibratam, ac jucundi saporis. Ad temperiem, aut nonnullam frigiditatem attinere videtur. Propinatur adversùs febres. Nascitur in collibus.

CAPUT CLV.

De TZONPOL, *seu capillis nihili.*

Ita vocant Phaseolorum quoddam genus (quorum innumerae proveniunt apud Mexicanos species) folia ferens terna, ac pro fructu siliquas. Succus ejus frigidus est, ac inflammatis oculis mirè confert.

CAPUT CLVI.

De TZONPOPOTO, *seu capillis foetidis.*

Radicem fert TZONPOPOTO transversam et fibratam, caules rectos, surculosos, refertos longiusculis et angustis foliis, adeoque Lini, flores candentes, et tandem in pappos abeuntes. Amarum saporem praesefert, calidamque et exsiccantem ordine tertio naturam. Succus instillatus cum nitro

medetur caligantibus oculis aut passis argemata, et venenatis ictibus, praecipuè si misceatur *Tlatlanquaye*, opitulatur, evocat urinam, sedatque permisto *Atolle* ejus acrimoniam, superexcrescentem ulcerum carnem exedit, ac febres, ut referunt, cum Maizio curat, etiam illas, quas puncta comitantur, sive id fiat evocato ad externas partes humore, seu frigorifica Maizii vi, ob calorem ac tenues partes hujus plantae, ad penitiora subeunte ac calorem praeter naturam exstinguente.

CAPUT CLVII.

De TZONTECPATLI, *seu vulnerum medicina.*

Frutex est TZONTECPATLI radicibus fibratis insistens, e quibus profert caules sarmentosos, tinctos virore exsaturato, teretes, tenues, et prolixos: et in eis folia Ocymi, sed circinata et minora. Germina concisa lac affatim stillant acre et amarum, ac tertio ordine calefaciens et exsiccans, quod impositum recentes glutinat plagas, ac brevi ad cicatricem perducit. Provenit *Tenanpulci* editis ac planis locis.

CAPUT CLVIII.

De TZONTZAPOTL, *seu pomo capillaceo.*

Fructus est ignobilis, internè luteus ac capillatus, unde nomen arboris vastae: quem, quoniam neque inter alimenta, neque inter medicamenta dignum quempiam locum habet, minimè curavimus depingendum.

CAPUT CLIX.

De TZONPOTONIC, *seu capillis foetidis Quauhquechullae.*

Arbor est hominis ferè altitudine, Filicis foliis, hirsutis, et subalbidis, radice rubra, frigida et adstringenti, ac nonnihil dulci, quae dysenteriis trita, atque devorata mirum in modum confert. Nascitur in calidis *Quauhquechullae.*

CAPUT CLX.

De TZONPOTIC *secunda.*

Ita vocant *Quauhquechullenses* speciem quamdam *Helichrysi* peregrinam, radice surculosa et fibrata, foliis salignis, aut Conyzae, squallentibus et hirsutis, floribus *Helichrysi*, ex albo pallescentibus, umbilico circa medium rubeo. Calida constat odoraque, et lubrica natura. Jus decocti ejus medetur tussi, satietati, et ventris doloribus, ar-

ticulos humore obrutos atque impeditos laxat et emundat, sudorem evocat, ac flatum discutit. Nascitur in calidis *Quauhquechullae*. Sunt et aliae plantae eodem nomine, et forma parùm differentes, quas, quia eisdem paene constant viribus, neque delineandas, neque describendas curavimus.

CAPUT CLXI.

De TZONPACHTLI, *seu capillis crispis.*

Tzonpachtli, quam alii *Cecec* seu *frigidam herbam* vocant, herbula est foliis Alsines aut Myosotae, saporis ferè expers, frigidaque, et humida natura, et febrientibus sive bibita, sive illita utilis. Sunt qui speciem Alsines esse suspicentur, nec desunt qui in Polygoni genus referant; quamquam alii *Tetzmitl* vocent, et in Sedi species rejiciant, quoniam praeter temperiem, quae ei rei videtur attestari, folia sunt pinguia, et succo plena. Sunt et aliae plantae, quae a capillis nomen sumsere: verùm, quoniam ad Juncorum species pertinent, in eorum locum enarrandae servabuntur.

CAPUT CLXII.

De QUERCU *odorata.*

Nascitur apud *Temazcaltepecenses* agros Quercus quoddam genus folia ferens Roboris, sed circa cuspidem tantùm angulosa, altera parte viridia, altera subalbida et lanugine

quadam obducta: quod non fuit a me silentio praetereundum, vel quia folia ejus servata sinu, ac paululùm concalescentia moschi simillimum spirant odorem.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER SECUNDUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De AHOEHOETL, *seu de tympano aqueo.*

Non ob aliud nuncupata est haec arbos a Mexicanis AHOEHOETL, quàm quòd juxta fluminum ripas ac aquarum fluenta nasci soleat, et ex ea Indi tympana, quae *Hoehoetl*, et *Teponaztli* vocant, consuescant parare; etsi alii dicant non ob id, sed quia juxta aquas ab aëre tacta edat fragorem, id nomen sortitam esse, praecipuè cum tympana potiùs ex materie *Tlacuilolquahuitl*, et *Capolinquahuitl* fabricentur. Hispani, qui ad has horas transfretarunt, et Sabinam, et Cedrum ob materiei rubrum colorem vocant:

at neque Sabina, neque Cedri species est ulla, sed in Abietum genus citra dubium referenda. Nam praeter fructum, omnemque faciem, quae nostrae penitus favent sententiae, materies, ut diximus, mollis ac lenta est, corruptionique et vitio abundè obnoxia, maximè si terrae defigatur, (cum Cedrina dicatur esse vivacissima ac paene immortalis) intra aquas namque integra diutius perseverat: quo factum est, ut consueverint Mexicenses heroës, atque Reges eam, velut basim et fundamentum aedibus, quae sibi circa hanc paludem fabricabant, subjicere. Demum Mechoacanenses *Penlamum* vocant. Sunt autem quatuor, quod adhuc intellexerim, hujus arboris differentiae, inter se magnitudine, colore et fructu distantes; quaedam siquidem illarum altissimas Pinus longitudine, atque amplitudine superant, et candidè esse reperiuntur, earumque nonnullae quatuor et viginti aut amplius pedes crassitudine aequant: aliae, quarum materia quoque candens est et rubrum cor sive medulla, his cedunt magnitudine, et nuces pineas resina refertas producunt, sed quae vulgares Oleas minimè magnitudine vincant; quas pictas tamen libuit exhibere, quoniam his ceterarum omnium formas expressisse sat fuit: aliae his quoque inferiores spectantur, sed rubra materie et orbiculatiore coma: postremae, et quae omnium minimae sunt, vix Malos Medicas vulgares

vincunt magnitudine, quibus materies rubra est, et candens medulla. Cortice omnes teguntur rubeo, foliaque ferunt abiegna, etsi minora et exiliora; ex omnibusque resina, si non sponte, at flammis liquata fluit: forma esset eadem, quae nostrati Abieti, ni folia, ut diximus, tenuiora, rami depressiores, ac fastigia magis acuminata assurgerent. Assulae in vasa fictilia conjectae opertaeque, igne supposito, resinam effundunt, sed ea non sponte manat, aut quidquam simile vocato oleo, quod e bullantibus vesicis circa stipites Abietum Indicarum stillat, erumpere consuevit, quas tamen a nostratibus nec digitum latum discedere quorumdam sententia est. Ergo sapor ejus arboris, de qua fit nobis sermo, acris adstringensque percipitur, non sine quadam amaritudine et odoris suavitate. Temperies calens est, et sicca ordine tertio: nam et resina ejus abietina longè acrior et calidior est, et viribus, ut diximus, vehementior. Cortex ustus adstringit, sanat ambusta, desquamatamque et exesam cutem. Cum lithargyrio et polline thuris ulcera curat, ac cicatrice obducit exceptus cerato myrtino. Tusus cum attramento sutorio serpentia ulcera cohibet, foetus ac secundas suffitu trahit, ventrem adstringit, et urinam evocat: folia tusa atque illita crurum scabiei et tumoribus medentur, molliunt inflammationes, et ab eis arcent vulnera; dentium dolores prohibent, si eis colluantur

ex aceto, vanos et citra ullam rationem obortos timores pellunt, sex obolorum pondere ex mulsa epota conferunt hepaticis. Fructus taedaque idem praestant. Resina arboris acerrima est, vehementissimi odoris, et quarto ordine calefaciens: dolores ortos e frigore sanat, morbo articulari, e frigida causa profecto, mirabili celeritate medetur, flatum discutit, dissipat e pituita ortos tumores, laxat nervos qui ab humoribus crassis sunt distenti, et resolutos purgat, atque corroborat: denique eis omnibus prodesse solet, quibus curandis cetera mitiora medicamenta frustrà sunt tentata, parùmve profuere. Quibusvis regionibus proveniunt, atque ita possent facilè transferri ad Hispanos, si circa fluenta, stagnantesve aut lentè fluentes aquas, uliginosave loca semine, talea, aut viviradice sererentur, etsi omnium minima longè etiam ab aquis et nasci, et servari soleat. Toto anno proveniunt, toto anno resina ab eis evocatur, sed nullo tempore aut loco inveniuntur florere.

CAPUT II.

De TLALAHOEHOETL, *seu infima Abiete.*

TLALAHOEHOETL, quam alii *Tepachtli*, alii *Tenpachoaztli*, alii *Texcalpachtli* seu *muscum lapidum*, atque alii *Xopanceliam* vocant, herbula est radicibus firmata capillis similibus, e quibus breviusculos fundit caules refertos folio-

lis Lenticulae squallentibus, qui ex aqua macerati statim hiant, siccati verò complicentur atque claudantur, sole oriente pandantur, et occidente recludantur, hierocuntis vocatae Rosae in modum. Frigida est, siccaque, et adstringenti natura: saporis expers atque odoris. Ulceribus medetur, profectis e gallica lue, et quibusvis aliis, pulvis ejus inspersus. Idem propinatus ex vino albo *Metl* semiunciae pondere coërcet fluxus, infantium aufert vagitus, et comate affectis auxiliatur. Nascitur *Xalatlauhci*, amplexa cautes, unde invenit nomen, necnon apud *Huaxacenses*, ubi *Comalpatli* vocant, quoniam permista *Xoxohuicpatli* seu Aparinae, admotaque, ut ipsi referunt, splenem minuat.

CAPUT III.

De TLALAHOEHOETL *secunda.*

TLALAHOEHOETL, quam alii *Cuitlaxcolpatli*, seu *intestinorum medicinam* vocant, radicem fundit surculosam, caules lignosos, lentos, purpurascentes, asperos ac ordine refertos foliolis Lini, longiusculis, et angustis, interpositis floribus oblongis, ex albo purpurascentibus, vasculis contentis, parvis, et quadamtenus stellularum forma. Sapor est glutinosus, et temperies frigida humidaque. Jus decocti radicum cruentae medetur expuitioni, et sistit dysenterias: idem praestant ceterae hujus plantae partes, praecipuè si

admisceas induratum ovi luteum, gummique vocatum a Mexicanis *Olli.*

CAPUT IV.

De ATATAPALACATL, *seu testa aquis imposita.*

Hanc herbam Mexicani vocant ATATAPALACATL, quoniam testis lacunarum aquis impositis similis sit. Paludibus, lentis fluminibus, et stagnantibus aquis est familiaris, non secus ac Nymphaeae species reliquae, ad cujus differentias et haec videtur pertinere, etsi folia longè minora sint, cauleque et flore careat. Pediculis appendent folia, Umbilico veneris quadamtenus similia, crassis, rotundis, laevibus, rubentibus ac circa exortum implexis, e quorum inferiori portione radices prodeunt similes capillis, limo ac velut ipsi aquae innixae: folia sunt pinguia, obrotunda, mediocria, exsaturati superna parte viroris, ac dilutioris inferna: summis aquis velut illa Potamogeti aut Nymphaeae innatantia. Sapore atque odore caret, frigefacientique, et humenti temperie praedita est; cujus gratia pro Nymphaea vulgari ususpari et substitui commodè poterit. Inflammationes et erysipelata arcet, curatque imposita, infantium febres drachmae unius mensura devorata sedat, atque ita morbum obortis eruptionibus ad caput dicitur pellere, pudicitiam servat, ac demum vitiis omnibus, a calore et sic-

citate pendentibus adversatur. Toto anno viret, ac toto anni procursu vulsa confert. Temperatum caelum amat, aut paulò frigidius, quale est Mexicanum, et paludibus, ut dictum est, nasci gaudet.

CAPUT V.

De ATATAPALACATL *altera.*

In lacubus quoque provenit ATATAPALACATL *secunda*, et aquis ipsis velut fluitat, atque innatat, Lactucae, quam *crispam* vocant, quadamtenus similis et radicibus capillis haud disparibus, et rubescentibus: folia sunt brevia, nervis recta discurrentibus distincta, pinguia, et Plantaginis foliis non plurimum distantia. Frigida et humida natura constat, et fortassis est Stratiotes, quam describit Dioscorides, aut illi congener planta. Nascitur in lacubus et stagnantibus aquis quarumvis regionum, seu ferventiores sint, sive ad temperiem frigusve pertineant.

CAPUT VI.

De ATEPOCAPATLI, *seu Gerynon medicina.*

Radice ATEPOCAPATLI firmatur transversa, e qua aliae multae prodeunt Gerynis Ranunculisve similes. Hinc assurgunt caules duas spithamas longi, tenues, teretes, ac purpurei, et in his Amygdali folia aspera, flores verò promiscuè

pallidi coccineique. Radices gustatae resinam sapiunt, et glutinosae non sine quadam amaritudine sentiuntur, praetereaque odorae et suaves, calidaeque et siccae gradu circiter tertio. Atque ita sex obolorum mensura ex aqua devoratae ventriculum, renesque, frigida distemperie laborantes, restituunt et confirmant, medenturque sterilitati ab eadem causa obortae. Sunt ex Indis Medicis, quos super hac planta consuluimus, qui adserant, decoctae radicis jus aquae fontanae, aut fluvialis loco bibitum exstinguere febres, quod non videtur rationi consentaneum, ni febrium intermittentium frigora rigoresve ita finiri velint, aut alicunde vacuata causa febres cessare, etsi negare non possim frigidas etiam partes in hac planta latere, quarum ope id possit aliquando evenire. Temperatis exsultat regionibus, montosis, aut campestribus locis nasci gaudens. Septembri floret; radices verò, quarum est usus in medicina, velluntur a Novembre usque in Januarium, et in universum annum vulsae reconduntur.

CAPUT VII.

De ATZCALXOCHITL, *seu flore rubri splendoris.*

Radicibus firmatur ATZCALXOCHITL bulbosis, extra nigris et intra candidis : e quibus profert folia porraceis non omnino dissimilia, caules tenues, teretes, laeves, et su-

periore parte rubeos, unde prodit flos sex foliis longiusculis et angustis, latioribus tamen ipsis foliis plantae, contentus, ad radicem viridibus, deinde verò coccineo colore micantibus, a quo inditum est nomen, adnascentibus umbilico albis praelongisque capillamentis : semen latum, nigrum, in orbem sexcuplici grano compositum. Sunt et aliae eodem genere plantae, quae nisi candidos flores ferrent, essent ei, quam describimus, persimiles. Provenit temperatis aut paulò calidioribus regionibus, qualis est Mexicana, montosis, ac campestribus locis, cultisque et vacantibus cultura : in justam quamcitissimè assurgens altitudinem, septemque dierum intervallo flores edens ac amittens ; et hoc imbrium praecipuè tempore. Frigida est et humida natura, medeturque imposita radix ustionibus, atque inflammationibus. Verùm praecipuus usus est florum, qui pulchritudine sua in floridorum manipulorum, atque corollarum ornamenta venire solent.

CAPUT VIII.

De Ayotli, *seu de Cucurbitarum Indicarum natura et generibus.*

Cucurbitarum, quas Indi Ayotli vocant, genera, omissis his, quae nostro orbi coepere esse familiares, multae reperiuntur differentiae. Omnium folia similia inter se ma-

gna ex parte sunt, adeoque viniferae Vitis, ni essent longè ampliora. Flores lutei calycum magnorum, atque oblongorum forma : at fructus et forma, et nomine omnino varii ; qui modo sunt a nobis, qua dabitur, brevitate et perspicuitate tradendi. Ergo omnium prima Cucurbitarum differentia *Tzilacayotli*, *Cucurbita*ve *sonans*, et ab aliis *Cuicuilticayotli* seu *picta* vocata, cava est, vel sonitu ipso, si verberetur, attestante, in tantamque augetur amplitudinem, ut tres spithamas ambitu compleat. Semen est nigrum et modicum: candidum callum, fibris intextum, cutique ipsi paene adhaerescens : laevis superficies, et virore exsaturatiore, et dilutiore promiscuè variata. Secunda, quae *Cozticayotli* seu *pallida Cucurbita*, a quibusdam, ab aliis verò *Hacayotli*, et *Hoeyacayotli*, quoniam bono nutrimento, et oblonga constet figura, vocatur, callo exstat luteo, ut nomen ipsum indicat, palmum crasso, candido semine, striisque per intervalla, lineisve profundioribus, cavatisque canaliculis, Melopeponum quorumdam modo, secundùm longitudinem distinguitur. Cortex hujus quamquam virore quoque exsaturato et dilutiore principio niteat, ut plurimum tandem pallescit, cujus rei gratia *Cozticecayotli* eo tempore mutato nomine vocatur. Tertia *Tamalayotli* nuncupatur, quae impensè ampla, et obrotunda forma constat, unde nomen est sortita. Cortex hujus durus est, cal-

lum spithamaeum, luteum, et in cibariis suave, et semina, quae complectitur, candentia. Quarta *Tamalayotli* quoque vocata, luteo est cortice, forma protuberante in latitudinem, pallenti callo, candidoque et lato semine, quam hemorrhoidibus et oculis inflammatis ajunt mederi. Est et alia eodem nuncupata nomine, oblonga, fulvaque, eduli callo rubro, ac candenti semine, sed proveniens in regionibus calidis. Quin *Quauhayotli* Melopeponum constat forma, rubro callo, binos lato digitos, semine exili et candente, fulvoque cortice; ne memorem aliam ejusdem nominis, quam, quoniam ad arbores pertinet, in alium locum differemus. Est et *Tzonayotli* seu *capillata Cucurbita*, ita vocata ob callum fibris similem, et in cibis inutilem, seminis verò expetiti, et coloris candidi, viridis, atque pallescentis, etsi non desint, qui *Tamalayotli* pallentem *Tzonayotli* quoque vocent: hanc verò etiam *Ytztacayotli*. Est et *Ytztactzilacayotli*, candido et lato semine, callo candenti et fibrato, binos crasso digitos, salubri edulique. Est et *Tlilticayotli* candido semine et longiusculo, callo tres digitos crasso, luteo dilutiore, et mediocri magnitudine. Est et *Ytztacayotli* ex maximis, candentis corticis, seminisque, quod forma est oblongum, callo verò candido, eduli, ac ternos crasso digitos. Possunt etiam his adjici, quae etsi edendo non sint, ad Cucurbitarum tamen genus perti-

nent, velut *Atecomatl*, Hispaniensibus similis, hortensis campestrisque, expers calli, inepta dapibus, et qua nonnisi ad aquam perferendam uti sit ab Indis consuetum, unde invenit nomen: praeterea *Axicalli* seu *aquae Cucurbita*, clipei forma et magnitudine, crasso cortice, et callo nullo: hac secundùm latitudinem divisa bina solent vasa parari magnorum lancium vicem praestantia: ex integris verò septenis connexis, cymbae trajiciendis hominibus atque equis, et quibusvis aliis perquam accommodae. Calli hae sunt expertes et cibis inutiles, velut et *Allacatl*, ita vocatae, quod siphonum usum praestant. Sapore omnes et odore velut et nostrates carent, frigidam et humidam praestant alimoniam, parandis ferculis, et cibandis his qui febres patiuntur, aut renum ardorem, opportunam, etsi conditae saccharo habeantur nostratibus insalubriores, atque insuaviores: in hortis locisque humectis, et cultis nascuntur. Hujus plantae flores et capreoli oleris vicem Índis cocti, sed maximè e jure pinguium carnium praebent. Quo tempore decidunt imbres, nascuntur, etsi toto etiam anno proveniant apud Mexicanenses, et veniant in cibos. Sunt verò alia Cucurbitarum genera, quarum diversa est natura, et ideo seorsim a nobis suis quaeque reddenda locis.

CAPUT IX.

De AYOTZIN, *seu herba simili Cucurbitae.*

Radices fundit AYOTZIN Helleboro similes, et cucurbitina folia, unde nomen. Radix est acris, calidaque et sicca ordine quarto. Leprae medetur imposita, ophiasi, lichenibus et scabiei, modò priùs aptè corpus expurgetur. Nascitur *Ocopetlayucae.*

CAPUT X.

De TLALAYOTIC, *seu Nummularia Indica.*

Radix est crassa, candida, et prolixa, ac ferè toto discursu crassitudinis aequalis: e qua funduntur caules volubiles, tenues, et duos dodrantes longi, in eisque folia bina, ordine utrinque disposita, parva et orbicularia, vocatae Nummulariae aut Veronicae feminae haud dissimilia, et fructum edulem Cucurbitae similem, unde nomen. Radix, quae glutinosa est, lacte manat, et quamquam aliquantulam participet amaritudinem, vincere tamen in ea videtur cum siccitate frigiditas. Bibitur contra febrium ardores, atque diarrhoeas et dysenterias compescit: medetur singultui, urinam evocat, et contractos nervos laxat: opitulatur ulceribus et oris ampullis: si urina evocanda sit, adjungitur *Cacaoatl* duarum drachmarum mensura; si verò coër-

cenda alvus, idem *Cacaoatl*, sed coctum, pariter devoratur. Nascitur locis campestribus.

CAPUT XI.

De Ayotic, *seu herba simili testudini.*

Ayotic, quam alii *Poxahoac* seu *turgidum* ac *molle medicamentum*, alii verò *Ololtic* seu *rotundum* et *orbiculare* vocant, radicem fundit Nuci Juglandi forma et magnitudine similem, candentem, solidam, et lacte manantem, ex qua prodeunt caules sexquidodrantem longi, tenues, juncei et per intervalla geniculati: flores exiles et candentes, ex quibus terna generantur granula, candentia et in triangularem cohaerentia formam, viridi membrana obducta: folia tenuia et longiuscula, et Gramini, *Chichimecapatli*ve similia, in cujus species potest referri. Amara herba est, ac subdulcis, et tertio ordine calefaciens atque exsiccans. Radix tusa et duarum triumve drachmarum mensura ex aqua devorata, aut infusa paulò majore pondere humores omnes, sed praecipuè biliosos perquam commodè vacuat per inferna, sive arida, sive virens recipiatur, etsi levi occasione creat vomitum. Nascitur in temperatis aut ferventibus locis, velut *Quauhchinanci*, et *Tepoztlani*, cum tamen *Chichimecatl* locis nascatur frigidis atque campestribus, vehementioribusque polleat viribus. Floret cum reli-

quis plantis, nec esset difficile eam transferre in Hispanias.

CAPUT XII.

De *QUAUHAYOTIC.*

Quauhayotic, seu *Cucurbita arborea*, radice firmatur magna, ex qua profert caules volubiles, et in eis folia similia *Chayotli*, fructum peponi similem, ex luteo rubescentem, et expertem saporis, refertum semine Malorum Macianorum aemulo. Radix est nonnihil amara, etsi in frigus et siccitatem videatur inclinare. Nascitur *Temimiltzinzi*, nec quidquam quod ad usus spectet medicos, de ea adhuc accepi; quamobrem nec duxi depingendam.

CAPUT XIII.

De *TLALTZILACAYOTLI, seu Tzilacayotli humili.*

Radicibus firmatur longis et candentibus, pollicem circiter crassis; e quibus proferuntur rami longi, et tenues, sparsi per terram; folia obrotunda, et altero latere magna, ex parte exesa. Flos, ut ferunt, candens, et fructus, haud dissimilis virenti siliquastro, unde nomen. Radix amaro sapore constat, et calida temperie, quae trium drachmarum pondere devorata dolores e gallica lue profectos sedat, quamvis saeva videatur inferre symptomata. Verùm mos est Indis altera die ab assumto pharmaco aegros in

balneum vaporis ducere, quod ipsi vocant *Temaxcalli*, intraque illos aqua quoque calenti abluere. Nascitur in saxosis collibus arentibusque frigentis regionis *Huexocincensis*.

CAPUT XIV.

De TOMPILILLIN, *seu Tzilacayotli.*

Radice firmatur TOMPILILLIN fibrata, e qua prodeunt caules volubiles, ac per terram serpentes, ubi nascuntur folia sinuosa, ac tribus insignia cuspidibus, flores in vasculis contenti oblongi et lutei, fructus autem haud glandibus majores, molles, succo pleni, edules, saporis acidi, gratique, et peponum universam naturam, ad quorum fortassis referuntur species, imitantes, sed longè sunt minores, neque glandium, ut diximus, superant magnitudinem. Frigida siccaque sunt temperie, edunturque ab Indis, ac praecipuè febrem passis. Radix frigida et humida est, ac febricitantibus aptissima. Nascitur *Hoaxtepeci Tepoztlani*, et permultis aliis calidis regionibus.

CAPUT XV.

De TLALLAYOTLI, *seu humili Cucurbita.*

Radice firmatur TLALLAYOTLI longa, tereti, et fibrata; e qua prodeunt caules volubiles, geniculati, et per terram repentes: ac in eis folia cordis figura, medriocria et

acuminata: cucurbitulaeque pollicaris crassitudinis et longitudinis, maculis cinereis et viridibus interstinctae, edules, et refertae lanuginoso semine. Sapor est amarus, et temperies paululùm calida. Radix duarum drachmarum pondere ex aqua devorata purgare dicitur per inferna crassos ac lentos humores, admota verò maturare ac rumpere tumores praeter naturam, atque ulceribus mederi. Nascitur in calidis *Tacapichtlae*, ubi foliis ejus confricatis palpebris usque ad sanguinis extractionem mederi solent Indi tumentibus oculis.

CAPUT XVI.

De AYOTECTLI, *seu planta Cucurbitae simili.*

Quam plantam AYOTECTLI quidam vocant, *Zayulenses* verò *Azazal*, alii *Chichicayotli*, id est *amaram Cucurbitam* nuncupare solent: est enim *Colocynthidis*, Cucurbitaeve sylvestris species, nostro orbi ignota, radicem fundens orbicularem, septem aliis minoribus pluribusve, rotundis quoque, hinc et inde pendentibus: colore intrinsecùs ex pallido purpurascente, extra verò fusco: ramos volubiles, eosdemque cum foliis ac floribus Cucurbitae hortensi similes, etsi minori magnitudine. Vehementem radix pilulaeque appendentes praeferunt amaritudinem, quartumque caloris ac siccitatis attingunt gradum. Eadem radix drachmae unius

pondere urinam evocat, et omnes humores purgat per superiora atque inferiora, sed praecipuè crassos ac pituitosos, si ex aqua devoretur, aut paulò majori pondere infundatur, securumque reputatur medicamentum. Non est pomum Indis in usu medico, cum tamen nostrae Colocynthidis fructui magnitudine, forma atque facultate respondeat, sed hac aliquantò mitiori. Nascitur in montium Mexicanorum, *Tetzcocanorum*, et *Quauhtepecensium* temperatis locis.

CAPUT XVII.

De QUAUHAYOTLI *Tohualanensi.*

Arbor est QUAUHAYOTLI magnas ferens cucurbitas, et quaterna folia Limonis per singulos ramos, flores magnos et candentes, fructum oblongum, haud mediocrem, eduli rubraque medulla. Lac, quo manat, infixa extrahit admotum. Nascitur *Tohalani.*

CAPUT XVIII.

De CHAYOTLI, *seu planta ferente fructum similem erinaceis.*

Volubilis est genus cultis hortensibusque locis familiaris, ac serpendo idoneus. Fructum fert spinosum, maximi testiculi forma atque magnitudine, callo candenti constantem, et quamdam velut glandem, amygdalamve, aut fa-

bam includentem: caules longos, tenues, capreolis implicatos: folia per intervalla angulosa, ac vitigineis cucurbitineisve quadamtenus similia. Fructus estur coctus, estque in emporiis passim venalis: faba interior glandes coctas sapore refert, cetera marinum quidpiam, assave ostrea, etsi coctas etiam batatas, castaneasve referre videatur; neque est omnino mali aut ingrati nutrimenti, aut alius ex hac planta usus, quod adhuc compererim, capi solet. Temperatis calidisve nascitur locis, qualis est *Quauhnahuacensis.*

CAPUT XIX.

De Ayozotic, *seu Cucurbita putrescente.*

Volubilis herba est Ayozotic, folia ferens scutorum parvorum figura, Hederaeve, subalbida infernè atque hirsuta: florem candentem modicum, ac viticulas ad extremos ramos, quibus amplectitur, irretitque juxta nascentes plantas. Folia amara sunt, ac dicuntur dolori renum infusa opitulari, si tamen a frigore oriatur, aut a lapillis ibidem contentis. Provenit in calidis *Tztlani* juxta rivos.

CAPUT XX.

De Ayozonatic, *seu planta Cucurbitae simili.*

Radicibus firmatur Ayozonatic, fibris similibus, ex quibus fundit caules sarmentosos, et volubiles, quique per ter-

ram sparsi e singulis geniculis radices agant: folia Cucurbitae: luteos ac modicos flores: fructu narratur carere. Radix sapit Pastinacam, sed acrior est, odora, et nonnihil amara. Calida, siccaque ordine ferè tertio natura constat, et partibus tenuibus. Jus decocti ejus infusum enixis ventris dolorem et tormina sedat, firmatque vulvas: urinam evocat, ac praecipuè succus ejus, flatumque discutit. Provenit regionibus calidis *Xoxotlae*, montosis ac planis locis, maximè juxta rivos, necnon et *Tlaquiltenanci*, et *Ocpayocani*.

CAPUT XXI.

De AYOHUITZTLI, *seu testudine spinosa.*

Bliti genus est AYOHUITZTLI, surculosa constans radice, unde profert caules rubros, ac laeves: folia rubra, oblonga, et per ambitum etiam rubescentia: flores purpureos, et in cristarum formam compositos, spinulas circa singulorum ramorum exortus, unde nomen, rubrumque et exile semen, racematim dependens. Frigida, et glutinosa natura constat, tenacique, et miram opem dysentericis praestante. Quibusque regionibus nascitur; udis tamen locis, ac praecipuè cultis et hortensibus.

CAPUT XXII.

De AYOHUITZTLI *altera.*

Vulgare genus est spinae AYOHUITZTLI, quam alii *Xocoytztli* vocant, ubique proveniens. Fructus ejus sapore et odore insigni caret, frigidaeque et humentis est temperiei. Redactus in farinam, *Acaxin* vocatae pinguedini permistus, aut resinae, scabiem extergit, ac delet admotus. Nascitur calidis temperatisve locis in maceriis, ac juxta aquas.

CAPUT XXIII.

De AYOHUITZTIC, *seu Cucurbita spinifera.*

Radicibus innititur AYOHUITZTIC tenuibus, ex quibus profert caules purpurascentes, et in eis folia Coronopi, per intervalla acervatim congesta, pungentiaque, unde nomen. Calida natura constat, ac Pastinacae praefert saporem. Folia resoluta ex aqua admotaque scabiem curant, ac maturant pannos. Nascitur regionibus calidis *Ocpayocani.*

CAPUT XXIV.

De AYOQUILTIC, *seu olere cucurbitino.*

Fibratae AYOQUILTIC insistit radici, fulvaeque, unde prodeunt pediculi praelongi, quorum aliquibus folia appendent Urticae proxima, obrotunda, ac minutim serrata

et mollia, aliis verò candens ac parvum semen. Sapore et odore insigni caret, frigidaque et exsiccante constat natura; quo fit ut tusa et admota inflammationes repellat, sedetque febres. Provenit in frigidis, vallibusque et humectis locis juxta aquarum defluxus, atque adeo in agris *Tetzcocanis*. Servatur radix in annuos usus.

CAPUT XXV.

De QUAUHAYOHUACHTLI, *seu semine arboris cucurbitinae.*

Arbor est QUAUHAYOHUACHTLI mediocris magnitudinis: foliis magnis, Lappae similibus, obrotundis et angulosis, fructu quibusdam prunis, nucibusque juglandibus simili, strobilos ternos continente, totidem secretos cavitatibus, nostratibus pineis nucibus forma, magnitudine, crusta et nucleis pares, sed facultate viribusque longè dissimiles; quando hi vi pollent per superna atque inferna, sed maximè per superna expurgante humores omnes, praecipuè crassos, atque lentos. Quamobrem adversus vetustas aegritudines magna ex parte adhibentur quini, septenive, semper tamen impari numero, nescio quàm efficaci ratiocinatione aut causa. Verùm priùs solent reddi torrefactione mitiores, resolvi ex aqua, vinove, et in eis aliquandiu macerari. Calida pinguique natura constant. Nascuntur in agris calidarum regionum, qualis est *Tepecuacuilcensis*.

CAPUT XXVI.

De altera QUAUHAYOHUACHTLI.

QUAUHAYOHUACHTLI *secunda*, quam alii *Quauhychtli* vocant, arbor est mediocris, radicibus insistens surculosis, unde prodeunt stipites purpurei, et in eis folia vitiginea, fructus verò oblongus, binos strobilos continens, quorum nuclei adduntur ferculis vice seminum cucurbitinorum, nutrimentumque praebent frigidum et suave. Succus ejus arboris medetur labiis ulcusculis hiantibus, gingivis ac dentibus, qui ad radices carne destituti sunt: succus stillans e tenerioribus germinibus inflammatione tentatis perturbatisve medetur oculis, et eorum superexcrescentem carnem dicitur absumere, ac sanare leucomata. Frigida planta est, nonnihil adstringens, expers saporis, succo manans, ac lenta materie. Provenit apud *Ytztolucam.*

CAPUT XXVII.

De QUAUHAYOHUACHTLI *tertia.*

Arbor est magna QUAUHAYOHUACHTLI *tertia*, stipites fundens fulvos et contortos, unde prodeunt utrinque rami, foliis Rhododendri angustis et longis, fructu obrotundo, ponticis nucibus simili, cujus nuclei quini septenive pituitam mirè expurgant, dum tamen paululùm torrefiant, ac con-

tundantur, et in vino permittantur aliquamdiu madescere, ac membrana quaedam eos circumvestiens auferatur. Sunt qui *Quauhtlatlatzin*, seu *crepitantem arborem* vocent. Nec desunt inter nostros, qui purgantes avellanas ab ipsa facultate nomine imposito nuncupare soleant. Provenit *Pahuatlani*, et *Ilgualapae* juxta littora Oceani australis.

CAPUT XXVIII.

De QUAUHAYOHUACHTLI *quarta.*

QUAUHAYOHUACHTLI, quam nostri *Cassiam fistularem* aut *Siliquam* vocant, arbor est magna, stipitem cinereum fundens, laurina paene folia, quibus confricati lichenes curari solent, flores luteos, stellatos, ac racematim dependentes, e quibus siliquae prodeunt notissimae, quae dum tenerae atque recentes sunt, saccharo condiri solent, atque ita trium unciarum mensura devoratae bilim et pituitam citra ullam noxam vacuant. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Tyauhtepecensis*, et *Hoaxtepecensis*, hortensibus, et campestribus locis.

CAPUT XXIX.

De ATLEPATLI, *seu ignea medicina.*

ATLEPATLI nostratis Ranunculi est species, folia ferens parva, crenata, cordis figura, et pediculis longis, e ra-

dice capillis simili prodeuntibus appensa : cauliculos tenues, virides, lentos, et flores luteos circumcirca capitula Corrudae haud dissimilia. Urentis est naturae. Lepras illitu curat, psoras, lichenas et impetigines : carnem supervacaneam corrodit, ac integram exulcerat. Regiones amat temperatas, qualis est Mexicana, et aquarum, circa quas emicat, defluxiones, totoque anno reperitur praedictis locis germinare atque virescere.

CAPUT XXX.

De ZACATLEPATLI Amayucanensi, seu pabulo igneo.

Radicibus firmatur surculosis et fulvis, unde caules prodeunt, et in his folia subalbida, serrata et hirsuta, Origani forma : floresque, ut ferunt, lutei et modici. Sicca est, ceteris verò moderata qualitatibus, fluxumque alvi dicitur compescere.

CAPUT XXXI.

De ZACATLEPATLI secunda.

ZACATLEPATLI, quam alii *Tetlatiam* seu *urentem medicinam* vocant, radicibus innititur multis, Asphodelo similibus ; e quibus profert folia Hordei, Graminisve, flores luteos, calycibus contentos, ac semen exile et rotundum. Radices calci additas ajunt vetustis ulceribus egregiè mederi, sed praecipuè his, quae favorum more multis scatent

oculis ; dilatatis namque plagis atque extersis , tandem eo vitio affecti sanitati restituuntur ; strumas etiam sanare impositas felici semper eventu , tumores praeter naturam rumpere , atque patefacere , curare lichenas , et integram, si opus sit , carnem corrodere , et excavare. Calida enim est ordine quarto , et urenti natura praedita , unde evenit illi nomen. Nascitur in frigidis locis , quale est *Huexotzincum* , et *Xalatlaucum.*

CAPUT XXXII.

De TLETLEPITZCATZIN , *seu planta , ignis excitatrice.*

TLETLEPITZCATZIN , quam alii ob similitudinem , quam habet cum praecedenti , *Zacatlepatli* quoque vocant , radicibus innititur Asphodeli , multis et candentibus , unde prodeunt folia longa et angusta , junceis similia , caulesque juncei , parvi ac tenues , quorum summis partibus flores adhaerent lutei ac modici. Radix , cujus est praecipuus in medicina usus , frigida et humida temperie , et sapore subdulci constat. Ulcerum antiquorum calidam siccamque intemperiem dicitur curare tusa atque admota , atque ita conciliare salutem. Nascitur juxta colles , et edita montium loca.

CAPUT XXXIII.

De YCHCATLEPATLI, *seu Gossypio urenti.*

Frutex est YCHCATLEPATLI parvus, folia ferens Ocymi, sed magis orbiculata circinataque, mollia, crassa, et squallentia, ac florem parvum et candentem. Sapor foliorum est acris, urensque, ut nomen indicat, natura. Auxiliantur putridis ulceribus folia in farinam redacta, tussientibusque, si tusa devorentur ex aqua quaterna aut quina, magnopere opitulantur. Nascitur in montibus *Tepuztlanicis.*

CAPUT XXXIV.

De YCHCATLEPATLI *secunda.*

Radicibus firmatur surculosis YCHCATLEPATLI altera, profertque ex eis caules quatuor spithamas longos, folia Ulmi, sed laeviora et hirsuta, supernè virentia, et subalbescentia infernè: fructum verò in postremis ramis racematim dependentem, ejusdem coloris. Calida temperie constat ordine tertio. Bina ternave folia contusa atque devorata tussi antiquae dicuntur egregiè mederi, applicata verò furunculis. Provenit regionibus calidis.

CAPUT XXXV.

De YCHCATLEPATLI *tertia.*

Radicem profert YCHCATLEPATLI *tertia* fibratam, e qua fundit caules multos et purpurascentes: folia mediocris magnitudinis, cordis ferè figura, infernè hirsuta, albidaque, et virentia supernè: flores virentes in formam corymborum compositos, obrotundumque fructum et capillos quosdam juxta foliorum exortum. Acris est, calidaque et sicca ordine quarto, et facultatis adstringentis. Folia mirum in modum referunt chrysomelorum odorem aut malorum cytoneorum. Jus decocti eorum dolorem ventriculi sedat; farina radicum inspersa ulceribus pudendorum medetur: cortex verò ex aqua devoratus dicitur hydropi mirabili quodam successu mederi, si trium drachmarum adhibeatur mensura. Provenit calidis regionibus, praeruptis locis ac montium faucibus: insignis nempè planta ac pro ratione praedictae temperiei ad multò plura, quàm diximus, utilis.

CAPUT XXXVI.

De YCHCATLEPATLI *quarta.*

Ranunculi videtur YCHCATLEPATLI *quarta* species illa, quam sub tertiae nomine quidam recentiorum delineatam exhibuere. Radices tamen fundit asphodelinis similes, ca-

lidas et siccas ordine quarto, quae tusae atque illitae ophiasi ac leprae medentur, carnemque superexcrescentem undecunque corrodunt et absumunt. Nascitur ad radices montium regionum frigidarum.

CAPUT XXXVII.

De QUAUHTLEPATLI, seu arbore igneo.

QUAUHTLEPATLI, quam Mechoacanenses *Chupireni* seu *plantam igneam* vocant, ea arbor est, quam Dioscorides appellat *Rhododendron*. Lac est urentis naturae, et tamen ajunt Indi quatuor obolorum mensura devoratum perquam commodè vacuare pituitosos humores cachecticorum, gallicam luem patientium atque hydropicorum, praecipuè si a frigida causa talis evenerit morbus. Verùm ego non crediderim vehementissimum istud medicamen citra noxam adsumi, sed securius fore, quod et Indi experimento testatissimum esse dixerunt, umbilico modica quadam portione adhiberi, et ita corpus purgare. Cutaneis etiam infectionibus, quale sunt lichen, lepra, scabies, ophiasis, et impetigo, praesentaneo est remedio. *Huexotzincenses* uti solent eo pharmaco duarum paene drachmarum pondere adversùs febres interpellatas. Nascitur apud *Mechoacanenses* et *Ocopetlayucenses* prope humentia et aquosa loca, ubi parùm affuit, quin meo postremo malo lac ejus periculi gratia degustaverim.

CAPUT XXXVIII.

De QUAUHTLEPATLI *altera.*

Radice firmatur surculosa fulvaque, longa et crassa, ex qua funduntur caules volubiles et fulvi: folia Limonis: flos candens et modicus. Cortex radicis, quae frigida est, subdulcis et adstringentis naturae, redactus in pulverem, atque appositus medetur eruptionibus, quae in gallica lue solent oriri. Idem praestare dicitur devoratus quatuor drachmarum pondere, eodemque modo omnes infectiones cutis delere. Nascitur in calidis *Texaxahoacensibus*, et *Ichcateupensibus*, ubi in maximo pretio solet haberi ab indigenis ad praedictas aegritudines exterminandas.

CAPUT XXXIX.

De QUAUHTLEPATLI *tertia.*

Radice firmatur QUAUHTLEPATLI *tertia*, crassa, lignosa, rubra, et fibrata: ex qua proferuntur stipites fruticosi, atque ligneae naturae: folia Ocymi, serrata: flores e candido rubescentes, in supremis ramulis acervatim congesti verticillorum ferè modo. Paululùm frigida, temperatave, sicca et adstringenti constat natura. Jus decocti ejus curat quosvis dolores haud aliter ac illud Guajaci, Chinae aut Sarsaeparrillae: quindecim aut pluribus diebus, si ita expediat,

matutino epotatum dysentericis magnopere confert, et quibusvis aliis defluxionibus cohibendis. Provenit in locis campestribus *Xoxotlae.*

CAPUT XL.

De QUAUHXIUHTLEPATLI, *seu medicina ignei fruticis.*

Radicem fundit QUAUHXIUHTLEPATLI fibratam, ex qua promit stipites lenta constantes medulla: et in eis folia Mali Persici, majora tamen: flores, ut referunt, cyaneos et modicos. Radix est dulcis, Glycyrrhizae sapore, sed acrior et valde jucundior. Temperies est ordine ferè tertio calida atque sicca. Jus decocti radicum aut foliorum epotatur adversùs quosvis dolores, ad eaque omnia, quorum gratiâ Glycyrrhizae decoctum consuevit propinari, et quotiescumque opus est aliquantò intensiori calore. Nascitur in calidis *Xonotlae*, editis humilibusque locis.

CAPUT XLI.

De TLETLEMATZIN, *seu pala manus ignea.*

Radici innititur obrotundae, et rubeis fibris adauctae, e qua profert pediculos longos, et fulvos, quibus appendent folia magna et sinuosa: florem magnum et rotundum, externè nigrum, ac internè candentem. Calefacit radix exsiccatque ordine quarto, urentis est naturae, amara ac sub-

tilibus partibus praedita ; quo fit, ut trita atque inspersa ulceribus a gallica lue profectis maximo sit auxilio ; devorata verò duarum drachmarum pondere delumbibus fert opem, medetur scabiei, humoribus illam efficientibus per cutem evocatis, et cuticùla prorsùs exuta, majoremque calorem illitam, quàm editam ferunt excitare. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus*, aquosis et humectis locis.

CAPUT XLII.

De TLEPATLI, *seu igneo medicamento.*

Tlepatli, quam alii *Ytzcuinpatli*, quoniam *canes interficiat*, vocant, species est Ranunculi : utuntur ea herba Indi adversùs dentium corrosionem. Urens enim est, atque ea facultate adfert incolumitatem.

CAPUT XLIII.

De TLEPATLI *altera.*

Frutex est magnus, fibratis fulvisque innixus radicibus, e quibus caules profert fulvos, striatos et scabros, ac Prunorum folia. Frigida constat et sicca natura, medeturque incendio et cordis affectibus, qui inde oriuntur ; quo fit, ut *Tlepatli* nomen sit sortitus, non quod igneus sit, sed quod igneis affectibus succurrat, in quem usum Indis mos est addere plantam, quam *Mixquihuitl* vocant.

CAPUT XLIV.

De TLEPATLI *tertia.*

Frutex est TLEPATLI *tertia*, radici magnae insistens, ac fulvo indutae cortice: e qua proferuntur caules foeniculacei, quadamtenus sarmentosi, lineis secundùm longitudinem interstincti ac pleni medulla: amygdalina folia, paulò tamen majora: flores parvi, candentes, oblongi, calyculorum scabrorum forma, in capitula congesti. Acria sunt folia, calidaque, et sicca ordine ferè quarto. Radix videtur principio amaritudinem quamdam praeseferre, quae demum in dulcedinem finiat acrem: subtilibus constat partibus, ac dicto citiùs vim suam gustata ostendit. Jus decocti ejus matutino epotatum dolores quosvis tollit, etiam e lue gallica profectos; pannos et pustulas morbi gallici tusa atque apposita discutit, si tamen mediocris victus ratio instituatur; dolorem ventris ex frigore ortum sedat, flatus dissipat, urinam elicit, colicos juvat, et pectoris aegritudinibus mirum in modum confert: folia applicata medentur gangraenis. Succus ejus et *Ettemecatl* juvant conceptionem. Provenit in calidis *Ocpayocani* juxta aquarum alveos.

CAPUT XLV.

De TLEQUILITL, *seu olere igneo.*

Radici insistit fibratae, candentique, ex qua mittit caules tenues, firmos, flores exiles et subrubescentes, folia Siliquastri, tenuia, mollia, ac ferè diaphana, verùm latiora. Eadem tusa pugilli unius mensura, aut semiunciae pondere, additaque *Atolli*, purgant aegrum, minimè opus praesentientem, cui horrori esse solent expurgantia medicamenta, vacuatis per inferna abundanter redundantibus humoribus. Urunt etiam carnem, cui superponuntur, excitatis ac demum ruptis ampullis; constat siquidem vi adurenti. Nascitur in calidis *Ocuilae.* Servatur radix in annuos usus, aut integra aut in pulverem redacta.

CAPUT XLVI.

De TLEQUAHUITL, *seu ignea arbore.*

Arbor est magna, foliis Castaneae serratis, sed latioribus; stipitibus rubeis, hirsutisque, et impensè lanuginosis cacuminibus: candentibus floribus exilibusque. Excutitur ab ejus ligno confricato ignis. Nec aliud de ea arbore memoratu dignum accepi. *Quauhchinanci*, ubi eam delineandam et suis coloribus curavimus exprimendam, vocant etiam *Tzonpantli*, alii *Tlequihuitl*, quoniam ex ea quoque ignis excutitur.

CAPUT XLVII.

De ATZOYATL, *seu herba gravis odoris.*

Radice ATZOYATL firmatur magna, fibrata et fusca; unde prodeunt caules fruticis ferè amplitudine atque altitudine, longi, lenti, tenues, et purpurei; in quibus conspiciuntur folia saligna, serrata tamen, aut si mavis, *Tyauhtlina*, sed longiora, cui et pallentibus quibusdam flosculorum umbellis in pappos demum abeuntium est similis. Calida constat siccaque ordine secundo natura: sapore initio gravi, postea verò nonnihil acri, atque odorato. Folia applicata tumores discutiunt, dolores articulorum podagrasve atque chiragras mira celeritate mitigant: ventris dolorem tollunt, crurium tumores discutiunt, urinam atque sudores evocant, pectori apposita lactis faciunt abundantiam, morbo gallico egregiè medentur, et alia his similia ad calorem et siccitatem spectantia praestare solent, et tamen Mexicanae mulieres, etiam eae, quas *Titici* vocant, eadem herba utuntur adversus calidas capitis puerorum eruptiones, aut quod frigidas partes sortiatur, aut quod discusso humore calenti, atque dissipato videantur frigefacere. Clementi gaudet caelo, quale est Mexicanum, et locis planis et aquosis micat.

CAPUT XLVIII.

De altera ATZOYATL.

Radices fundit *altera* ATZOYATL, fibris similes: ex quibus numerosos stipites edit, geniculis rubris interstinctos, et in his folia hirsuta, mollia, et figuram cordis, quamquam longiora sunt, aemulantia: flores extra rubeos, intra verò candentes, palmum longos, calycum prolixorum forma. Saporem et odorem Anisi praesefert, non sine quadam acrimonia, calidam et siccam temperiem, ac partium crassitudinem, et adstrictionem. Quamobrem diarrhoeas coërcet, ventriculum firmat, flatum discutit, dolorem a frigore natum tollit, frigidis montosisque gaudet locis, et flores Septembri mense mittere consuevit.

CAPUT XLIX.

De ATZOYATL *tertia.*

Arbor est magna ATZOYATL *tertia*, folia fundens Lini, longiuscula, et angusta, hirsutaque: flores candidos, capitulis pilosis similes. Sapore est ferè nullo, frigefactoriaque et adstringenti natura, et tamen testantur Indi Medici, jus decocti ejus die quietis epotatum ab his, qui febre quartana laborant, sudorem evocare, atque ita morbum finire. Nascitur *Tohalani* et *Malinalci*, ubi *Xalatzoyatl*, seu

Atzoyatl arenosam eamdem plantam vocare consuevere.

CAPUT L.

De YZTACATZOYATL, *seu alba Atzoyatl.*

YZTACATZOYATL, candore distans ab aliis, unde sumsit nomen, radici innititur fibratae, e qua mittuntur caules, teretes, albicantes, tenuesque: et in eis folia Absinthii, aut *Yztauhyatl*, eodem modo subalbida, sed longiora, et flores pallentes. Calida et sicca est ordine secundo, gustu odora, atque subtilium partium. Illinunt ea contusa adversùs rigores et frigora corpus, et aliis remediis, quibus Absinthium aut *Yztauhyatl*, praedita est, et ad eadem pariter utilis. Nascitur temperatis aut frigidioribus regionibus, quale est *Tetzcocum*, et loca ad aethnae sita radicem.

CAPUT LI.

De ATZOYATL, *quae et Yllacatztic, seu contorta dicitur.*

Radicem fundit crassam et prolixam, caules sex octove uncias longos, folia similia ATZOYATL, unde nomen, sed minora. Calefacienti constat natura. Quo fit, ut semiuncia radicis infusa aut devorata colicae mirum in modum auxilietur, praecipuè ex faecum retentione ortae, purgat enim illas, et intestina emundat, atque ita consuevere Indi Medici eamdem plantam devorandam praebere postera die ab

assumta *Poxaboac*, de qua jam sumus loquuti, ut si quid ex purgatione praecedenti intestinis tenaciùs adhaesit, extergatur atque emundetur.

CAPUT LII.

De QUETZALATZOYATL, *seu Atzoyatl plumis simili.*

Frutex est QUETZALATZOYATL hominis aequans altitudinem: foliis salignis, aliquantulùm serratis, flore candenti, parvo, capillato, et in pappos demum abeunte, ubi semen album, atque exile continetur. Calida natura constat, atque ita tumores praeter naturam dicitur maturare, atque aperire.

CAPUT LIII.

De TEATZOYATL, *seu Atzoyatl lapidea.*

Radici insistit TEATZOYATL crassae, et surculosae, ex qua caules funduntur longi: et in eis folia Vitis sylvestris, ad cujus species videtur attinere, aliquantò tamen majora: floresque et acini coccinei. Amara est et calentis temperiei, nec quidquam aliud, quàm quod gustu percepi, audio de illa ab Indis Medicis ennarrari.

CAPUT LIV.

De AZPAN, *seu signo, vexillove.*

Herba est AZPAN duorum cubitorum altitudinis, radi-

cibus fibrarum in modum, foliis Amygdali serratis, et paulò minoribus, caulibus tenuibus, e quorum postremis flagellis flores albi erumpunt, qui priusquam hient, similes semini Coriani videntur, ac demum senescentes in pappos abeunt: a quibus flagellis flore onustis, et quadamtenus decumbentibus invenit apud indigenas nomen. Sapor est acris, vehemens odor, ac calefaciens, et exsiccans, ordine ferè quarto natura; quamobrem confricatam foliis faciem mirè dicitur extergere, lepras, tineas, lichenas, et varos, cum aliis cutis sordidis vitiis, curare, cum calce verò et *Tlilt-zapotl* viridi impetigines. Quin et alia praestat juvamenta, quae ejusmodi temperiei solent esse propria et peculiaria. Succus sive per se, seu permistus aliis extergentibus medicamentis eamdem fert opem. Temperatum solum amat, quale est *Mexicanum* et *Ichcateupense*, et campestria loca. Est et alia herba *Azpantli* dicta eadem ferè nominis ratione, praedictae similis, ni folia ampliora essent, ac minimè serrata, eademque natura et facultate; quamobrem sunt qui eam veluti praecedenti congenerem *Azpan* quoque vocent.

CAPUT LV.

De AYECOCIMATL, *seu herba simili Cimatl.*

Ad Phaseolorum genera a Mexicensibus *Etl* universim vocata, quae apud hanc novam Hispaniam paene innume-

ra sunt, pertinere videtur *Ayecocimatl.* Radicem verò fundit crassam, fibratam et brevem, ex qua oriuntur caules tenues, teretes, virides atque volubiles: folia Pyri mediocria, obrotunda, illis *Ololiuhqui* haud dissimilia et paululùm in cordis figuram inclinantia: flores in postremis ramis coccinei et in stellarum modum radiati; ex quibus fiunt siliquae fabalibus, reliquorumve Phaseolorum similes, includentes semina fabas ipsas imitantia. Venit ejus plantae radix apud Indos in nutrimenti usum, ¡ea est harum gentium voracitas atque rusticitas! nam licet sapore non sit admodum ingrato, difficilè tamen coquitur, duramque et fibratam praebet alimoniam. Frigida atque humenti natura constat, et odore ferè nullo. Succus ejus oculis inflammatione laborantibus subvenit, radix verò cruda, aut jus decocti ejus ventriculum et intestina supra infraque vacuat. Nascitur in agris Mexicensibus omni ferè tempore, campestri udoque solo, et floret decidentibus imbribus.

CAPUT LVI.

De CIMATL, *seu eduli quadam radice.*

Herba est, volubiles caules proferens, folia parva, terna, et vocatae Numulariae proxima et obrotunda, flores purpureos, radicem longam, fulvam, Raphani radici similem edulemque, multi et tenacis nutrimenti, si aquae donec te-

nerior fiat, incoquatur. Radix semiunciae pondere devorata dolori renum medetur, nec alius est, quod sciam, ejus in medicina usus. Nascitur in agris Mexicanis, *Huehuetocensibus*, atque aliis temperatis, aut paulò calidioribus locis.

CAPUT LVII.

De CICIMATIC, *seu planta Cimatl simili.*

Radix est similis napo, fibrataque, unde prodeunt caules volubiles et rubei, ornati foliis ternis, cordis figura, similibusque ceteris Phaseolis, quorum est species, ac siliquae mediocres, ex purpureis, ac velut racematim dependentibus floribus. Temperies est frigida et adstringens. Radix trita inspersaque ulcera curat, abstergit enim illa, et cicatrice obducit; quo fit, ut *Palancapatli* seu *ulcerum medicina* a plerisque vocetur. Oculis tentatis inflammatione mirè confert. Nubes et superexcrescentes carnes discutit, fluxum alvi coërcet, tussi auxiliatur, et enixas corroborat. Jus verò decocti radicis opitulatur dysentericis. Nascitur in calidis ac temperatis regionibus, qualis est Mexicana.

CAPUT LVIII.

De TEPECIMATL, *seu Cimatl montana.*

Radicem fundit TEPECIMATL surculosam et prolixam, et inde caules praetenues, et folia oblonga, flores candentes,

ac parvas siliquas. Ad Phaseolorum species pertinere quoque videtur. Nam et sapor radicis idem est, frigidaque aut temperata natura. Ajunt semiunciam radicum tusam atque ex aqua devoratam ciere vomitum. Nascitur in collibus ferventium regionum, qualis est *Chiauhtla.*

CAPUT LIX.

De TECIMATL, *seu Cimalt saxorum.*

Volubilis est venenati genus; cujus radix crassa appa-ret, ac folia indemersili ferro similia.

CAPUT LX.

De ACHIAN, *seu Chian aquae.*

Herba est Balloti similis, multis tenuibusque firmata radicibus, unde profert caulem quadratum, et in eo folia rara, mediocris magnitudinis, cordis ferè figura, et paululùm serrata, flores cyaneos parvos, vasculis similes, e summis ramulis racematim dependentes. Odor gravis est, sapor nonnihil lubricus, et natura vel tantillùm calida atque humida tamen. Succus ejus unciae unius mensura ebibitus bilim per superna vacuare dicitur, et scabiem curare, infusus alvum extergere, et semen torrefactum cum *Chian* mederi dysentericis. Sunt qui *Tepechian* aut *Zacachian*, quod est montanum, seu herbaceum *Chian*, vo-

cent. Clemens caelum amat, humectoque et uliginoso nasci gaudet solo.

CAPUT LXI.

De ACHIAN *Xochitepecensi.*

Radicibus insistit ACHIAN *Xochitepecensis* fibris similibus, unde profert quadratum caulem, geniculatum per intervalla, folia Ligustici serrata, aspera et oblonga: florem in postremis ramis orbicularem, pilosum et candentem, erinaceorum parvorum forma. Calida est, amari saporis, odoraque. Succus drachmae unius mensura bibitus urinam elicit: folia contusa ac devorata pugilli unius pondere enixas corroborant, illita verò scabiem curant. Provenit juxta rivulos *Xochitepecenses*, unde illi, ne nominum similitudo errorem pareret, fecimus cognomen.

CAPUT LXII.

De CHIANTLACOTL, *seu Ungachian.*

Arbor est parva, folia ferens Ocymi, sed minimè serrata, et in tenuius acumen desinentia: florem coccineum, exilem, et alicubi parvas spinas. Sapore et odore caret, frigidaque et salivosa praedita est natura. *Quauhtlae* nascitur udo irriguove solo.

CAPUT LXIII.

De CHIANTLACOTL *altera.*

Frutex est CHIANTLACOTL *altera*, rectus excelsusque, radici crassae et fibratae innixus, unde mittuntur stipites multi, pollicem crassi, folia Ocymi circinata, aspera, plena interveniis obliquis, qua in re differt a praecedenti arbuscula, cujus foliorum terna intervenia suam longitudinem discurrunt, aliis minoribus transversim exorientibus, et flores purpurei modicique. Calidus est, et nonnihil acris: tusa folia flatum discutiunt, alvumque emundant infusa. Provenit apud *Pahuatlanenses.*

CAPUT LXIV.

De CHIANTZOTZOLTO, *seu herba simili Chiantzotzoli.*

CHIANTZOTZOLTO, quam alii *Tecamactlactlatzin* seu *medicinam in ore sonantem*, alii *Quauhtilizpatli*, quod venerem excitet, alii *Mecapatli* vocant, herba est radici innitens fibratae, e qua multos caules fundit, binos dodrantes longos: et in eis folia per intervalla quatuor unciarum, oblonga et parva, acervatim cohaerentia, interseritis floribus modicis, oblongis, parvis et ex albo purpurascentibus, permultis capillamentis luteis hinc inde exorientibus. Adstringenti dulcique radix viget natura, atque ita folia tusa et epota e liquore quopiam adstringente alvum

fluentem cohibent. Radix, quae subacris est, tusa, et duarum drachmarum pondere devorata vomitum ciet, medetur tumoribus praeter naturam, ulceribusque: jus verò decocti ejus morbo gallico opitulatur. Nascitur in planis calidisque locis *Tacapichtlae*.

CAPUT LXV.

De CHIANTZOTZOLLI, *seu planta in humore intumescente.*

Radices fundit surculosas CHIANTZOTZOLLI, et ex eis caules quadratos, et sexquidodrantales, folia Hederae majora, flores candentes, exiles, vasculis oblongis contentos, in quibus demum semen generatur atque continetur, candens, contusum, planumve lentium forma. Olet thymum nostratem, sed e vestigio odor languescit: folia ac radices non omnino videntur expertia caloris, aut cujusdam adstringentiae et amaritudinis. Semen verò frigidum est, aut caloris temperati, non sine quadam lubricitate et salivosa natura, et quod devorari soleat matutino ac postremo vespere adversùs febres, ac dysenterias, ceterasque defluxiones ex aqua unciae unius pondere miro successu, dum tamen ventris bis aut ter applicetur emplastrum, constans araneorum telis, oleo rosato, et aliquot infrixis pariter ovis. Parantur ex eo, saccharo ac melle condito, atque interdùm adjectis expurgatis amygdalis, melonumque, et aliarum

plantarum seminibus, pergrata quaedam genera bellariorum, potionumque refrigerantium, qualis est *Chiantzotzollatolli* vocata, exstinguendo febrili fervori aptissima, ac bonum gratumque praebens alimentum. Quin belli tempore maximi habebatur, quo si saccum plenum secum ferrent, nihil, quod alendo corpori esset commodum, sibi arbitrabantur deesse. Miscebant verò id semen in farinam redactum Maizio torrefacto atque contrito, ut diutiùs integrum et immune a vitio servaretur, cumque exposcebat occasio, potionem parabant, cui interdum succum *Metl*, ignem expertum, vix melli nostrati cedentem, ac paululum siliquastri solebant adjungere. Ubique sata haec planta provenit, locis praecipuè cultis, irriguis et aquosis.

CAPUT LXVI.

De CHIANPITZAHOAC, *seu Tenui.*

Herba magna est CHIANPITZAHOAC, a foliorum ita nuncupata tenuitate, aut quoniam edulis sit *Chianqualoni*, (additur enim *Chiamatolli* potioni), radices fundens fibris similes, caules striatos, ac Cerei appellati more, cui summa membrana detracta sit, in quatuor partes divisos, folia praecedentis *Chian*, sed tamen nonnihil serrata, Pyro similia et oblongiora, infernaque facie subalbescentia: flores purpureos et spicatos: semen nigrum, quo pascunt indigenae avi-

culas occines, caveis inclusas, quarum ingens est apud eos copia, haud aliter ac nostri phalarides, chlorios, atque acanthilides, et parant candentia quaedam bellaria, quae, ubi illarum copia suppetit, ex amygdalis confici addito saccharo aut melle solent. Nascitur locis planis et campestribus, cultisque ac praecipuè inter sata calidarum regionum.

CAPUT LXVII.

De TEPECHIAN, *seu Chian montana.*

Radici insistit crassae, surculosae et candenti, ex qua profert stipites dodrantales, tenues, teretes et purpureos: et in his folia Amygdali, sed minora, et acuminata, alteraque ex parte subalbescentia, aliis tamen minoribus ternisque ordine utrinque intersertis: florem ac semen *Chiae* similem, unde nomen, suprema stipitum parte exilem et, ut ajunt, cyaneum, ac vasculis contentum. Amaro sapore constat. Pulvis ejus tostae inspersus curat vetusta ac putrida ulcera. Nascitur regionibus frigidis, in jugis, ac montanis locis *Malinalci.* Est et *Yztacchian* simile *Chianpitzahoac*, albo tamen constans semine.

CAPUT LXVIII.

De QUAUHCHIAN.

Radicibus insistit QUAUHCHIAN fibris similibus, unde

mittit caules tenues, quadratos, rectos et coccineos: et in eis folia Urticae, sed longè majora, ac sinu quodam altera parte insignia: ramulos refertos acinis corymborum modo dependentibus, rotundis ferè, primò virentibus, mox coccineis, ac tandem tinctis nigro colore, quo inficiunt attrectantium manus (continent enim quiddam simile atramento) ac semen durum includentibus. Frigida et sicca temperie constat, et ulceribus pulvis ejus medetur. Nascitur *Tepoztlanicis* montibus et *Acuitlapani*.

CAPUT LXIX.

De altera QUAUHCHIAN.

Frutex est QUAUHCHIAN *altera* radices fundens, fibris similes, et ex his caules purpureos, folia Salicis serrata, et flores in postremis stipitibus spiniferos, racematim dependentes, atque purpureos. Caules ac folia tusa medentur ulceribus, si priùs eadem ex vino abluantur. Nascitur in montibus regionum cujusvis temperiei.

CAPUT LXX.

De QUAUHCHIAN *tertia*.

Herba est cubitalis, caules fundens cinereos, folia ferè Ocymi, flores purpureos, parvos, spicatos, et vasculis oblongis in postrema parte caulis contentos, praeter ver-

ticilla florida circa exortum foliorum, quae bina per intervalla conspiciuntur. Folia alvum impensè fluidam continent, gustu placent, videnturque excalfacere ordine secundo. Provenit *Tetzcoqui*, campestribus locis.

CAPUT LXXI.

De CHICHIANTIC, *seu herba Chian simili.*

CHICHIANTIC, quam alii *Tlalahoehoetl*, alii *Hoahoauhtzin*, alii *Olotic*, *Atotonilcenses* verò *Oloxochitl* vocant, radicem surculosam fundit, ac crassam, caules coccineos et cubitales, folia Ocymi purpurascentia ex pallido, capitula spicasve Stoechadis, sed longiores, e luteo quoque purpurascentes, et fulvo semine tenuique refertas. Frigida et sicca pollet natura, et sapore nonnihil adstringenti. Trita radix, et quatuor drachmarum pondere matutino, quoties expedierit, devorata febres dicitur sine molestia exstinguere, et anhelantibus ob ingentem calorem opitulari, ardorem urinae sedare, punctisque argematis et inflammatis oculis mederi. Quin etiam dysenterias compescit, recentes plagas cum sale admota conglutinat, ac procedente tempore citra salem. Temperato gaudet caelo, quale est *Stapalapense*, et *Tetzcoquense*, asperisque et montosis locis.

CAPUT LXXII.

De CHICHIANTIC *Hoaxtepecensi.*

Herba est CHICHIANTIC *Hoaxtepecensis* hominis aequans altitudinem, foliis Urticae nostratis, odore Menthastri, floribus caeruleis spicatis, et tenuibus radicibus. Medetur dysentericis. Amara est valdè calidaeque, et exsiccantis ordine tertio naturae. Quam herbam, etsi insignem, depingi noluimus, quòd aliam pictam haberemus et per omnia similem, praeter acinos pares Coriano, quos haec, non illa fert, et temperiem, quae frigida est, et tumoribus praeter naturam repellendis aptissima.

CAPUT LXXIII.

De CHICHIANTON, *seu parvo Chian.*

CHICHIANTON, quod alii *Achien*, *Huaxacenses* verò, apud quos provenit, *Malacaxochitl* seu *fusi florem* vocant, herba est radicibus surculosis innixa, unde profert ramos purpurascentes, folia Origani, sed magis acuminata: flores coccineos, scariosis calycibus contentos, quibus semen *Chian* simile includitur, unde nomen. Amara est, crassarum partium, calidaque ordine secundo, et lubrica natura: medetur utero atque diarrhoeis. Nascitur temperatis locis juxta montium declivia loca.

CAPUT LXXIV.

De CHICHIANTIC *Tlachmalacacensi.*

Radices fundit CHICHIANTIC *Tlachmalacacensis* candentes, caules purpureos, hirsutosque et quadratos: et in eis folia per intervalla bina, florem parvum ac viridem, et semen *Chian* nigri coloris: tota planta Verbenacam rectam refert. Odora est, et nonnullum praesefert cum quadam siccitate calorem. Ajunt febribus mederi illitam, seu hoc fiat remissiore adjecto calido, sive evocato humore ad exteriora, aut pulsis rigoribus ac typis accessionum.

CAPUT LXXV.

De CHICHIANTIC *Ocoitucensi.*

Herba est CHICHIANTIC *Ocoitucensis* radicem fundens magnam et fibratam, caules quadratos, praelongos, et in eorum summis partibus spicas Stoechadi similes, septem transversos digitos longas, plenas floribus cyaneis et oblongis: folia verò Salviae, infernè serrata, et candicantia. Sapor est amarus Stoechadi quoque similis. Calida siccaque tertio ordine constat natura, ac Stoechadis loco, cum defit ejus copia, aptè substituitur. Nascitur regionibus temperatis, aut paulò calidioribus, qualis est, a qua cognominatur, *Ocoitucensis.*

CAPUT LXXVI.

De CHICHIANTIC *Coatlani Quauhnahuacensis.*

Radici innititur capillatae, unde oriuntur caules quadrati, sarmentosi, et hirsuti, folia Urticae proxima, sed pennatis pediculis: flores purpurei, similes Chiae, cujus est species. Semiunciae pondere trita folia epotaque ex aqua fluxum alvi coërcent: calida siccaque et adstringenti temperie constat et odore gravi, et fluxum sanguinis praegnantium solet quomodolibet admota retinere. Nascitur ferventibus regionibus, qualis est *Tauhtepecensis* et *Coatlanensis.*

CAPUT LXXVII.

De CHICHIANTIC *Cocolanica.*

Radicem fundit surculosam CHICHIANTIC *Cocolani*, et capillatam: prolixa folia, salignaque, serrata et angusta, florem in summis stipitibus Verbenacae rectae proximum, unde nomen: caules praelongos, quadratos, striatos ac plenos lenta medulla. Folia sunt nimis amara, calidaque et sicca ordine tertio, quorum decoctorum jus epotum spleni medetur. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Quauhnahuacensis*; adeo Verbenacae rectae similis, ut si eadem non sit, illi saltem videatur congener.

CAPUT LXXVIII.

De ACHICHIANTIC *Tohalanensi.*

Herba est ACHICHIANTIC tres cubitos ferè longa, e radice surculosa caules tenues proferens, teretes ac cinereos: folia Marrubii, minutim serrata, et flores in postremis ramis acervatim congestos. Radix extrinsecùs pallet, et candescit intrinsecùs, caulis nonnumquam purpurascit, flos verò ex viridi candidove inclinat in luteum. Radix calida, siccaque et adstringenti constat temperie: farina ejus bis aut ter die admota medetur ulceribus muliebrium pudendorum. Provenit in calidis montosisque *Tohalani* locis.

CAPUT LXXIX.

De TEPECHICHIANTZIN.

Radicem fundit TEPECHICHIANTZIN, seu *Chichian parvum* et *montanum*, candentem et fibratam: caules purpurascentes et excelsos: scabra folia, serrata, multis distincta interveniis, ac similia Ocymo: flores longiusculos, vasculis similes, atque ex albo rubescentes, quibusdam candidis capillamentis e medio prodeuntibus, ac fructum obrotundum, in quo semen continetur. Radix in pulverem redacta ac inspersa ulceribus pudendorum magnopere dicitur prodesse.

CAPUT LXXX.

De TLATLAUHQUICHYOYANTIC, *seu Chichiantic rubea.*

TLATLAUHQUICHYOYANTIC, quam alii *Cocoztic* seu *pallidam*, alii *Tlatlapaltic*, alii *Cocahuizpatli* vocant, radicibus firmatur fibris similibus, multis, teretibus, atque pallentibus, et Hellebori imitantibus formam; e quibus caules oriuntur, et in eis folia oblonga, serrata, flores longi, candentes, forma canaliculorum, et fructus glandibus oblongis similes. Nonnihil calida est, et lenis cujusdam naturae particeps. Bibitur adversùs febres, et exanthemata drachmarum duarum pondere, miscetur Pharmaco vocato *Chichimecapatli*, ictericis confert, et inflammatis oculis medetur. Nascitur *Temuacensibus* et *Tepuzcullulae* agris, qui ad calorem spectant.

CAPUT LXXXI.

De QUAUHCHICHIANTIC, *seu arbore simili Chian.*

Arbor est stipitibus purpureis, Olivae foliis, angustioribus tamen, et longioribus, pennatis ramis, floreque et fructu, ut ferunt, nullo. Odora gustu, calidaque ordine secundo temperie, adstringens, saporis resinosi, gummique vocato *Copalli* simile effundens. Cortex foliaque trita, ac bis die admota medentur ulceribus, quae ab aliqua re ver-

berante aut percutiente contingunt, habenturque ab indigenis maximi ad similes usus. Nascitur in calidis *Ocpayocani* agris.

CAPUT LXXXII.

De QUAUHCHICHIANTIC *altera.*

Herba est radici insistens fibratae et purpurascenti, ex qua fundit caules cubitales, virentes, folia Urticae similia et serrata, flores parvos et candentes juxta postrema ramorum flagella in corymbos coacervata. Jus decocti radicum infusum discutit flatum, ac educit obduratas et molestas faeces. Nascitur in campestribus *Tetzcocanis.*

CAPUT LXXXIII.

De CHICHIAN *Tetzcoquensi.*

Radicibus insistit fibris similibus CHICHIAN *Tetzcoquensis*, quam alii *Chian* vocant, e quibus caules quadratos fundit: folia nostratis Urticae, serrata, Ocymive magni, alata tamen circa pediculos, praeter bina alia parvula circa majorum exortus prodeuntia. Frigida adstringentique natura constat, atque ita jus decocti ejus sistit diarrhoeas. Nascitur temperatis, sed humidis regionibus, qualis est *Tetzcoquensis.* Est et alia *Chian Memeia*, sed quia ad *Memeias* seu herbarum lacte manantium genera videtur pertinere, in earum locum referenda servabitur.

CAPUT LXXXIV.

De AQUILOTL, *seu planta volubili prope aquas proveniente.*

Plantam hanc Fruticemve ita vocant Mexicani, quando humidis aquosisque locis nasci consuevit, repitque per terram, aut propinquis arboribus convolvitur. Sunt verò illius duae species, colore tantùm floris, ac nomine distantes, et foliorum amplitudine. Prior enim flores fert candidos, ac folia paulò minora, vocaturque *Aquilotl*; alteri verò flores pallescunt, et folia sunt majora, diciturque *Coztic Aquilotl* a luteo colore florum. Caules uterque promit rotundos, purpureos, lignosos, fragiles, tenues, et lenta farctos medulla: flores *Tzquixochitl* candidos, ut diximus, aut pallentes, nec absimiles odore et forma floribus Rosae illius, quae a recentioribus sub *Mosquetae* nomine circumfertur, cui hic Frutex totus non omnino dissimilis est. Folia sunt Rubi, sed circinata, nerveis discursibus recta secundùm longitudinem discurrentibus, et odorem cucumeris ferè praeseferentia: flores in odoramenta et corollas veniunt, floridosque manipulos Indis passim consuetos ac familiares; e quibus ignis beneficio aqua stillatitia extrahitur, quae valde odora sit, atque jucunda. Folia sunt amara, et tertio ferè ordine sicca et calentia; quamobrem devorata pugilli mensura ex vino flatum discutiunt, tusaque et admota con-

tracta membra laxant, et tumores praeter naturam discutiunt. Potest in Hispanias, si adsit cura, transferri, temperato siquidem aut paulò frigidiore caelo exsultare solet.

CAPUT LXXXV.

De APAREQUA, *seu herba calida.*

Urticae genus est APAREQUA, foliis constans magnis, serratis et obrotundis, cum qua delata est ad nos et alia species humilioribus caulibus, ac vix palmum aequantibus, longèque minoribus foliis. Pungunt his frigescentes ac semimortuas carnes non sine utilitate magna, aut eos, qui aliqua parte corporis citra inflammationem dolent. Quin et contra perfrictiones est utraque indigenis laudatissima, et ex praedicta causa ortos dolores, si tusa folia calefactaque emplastri forma applicentur. Nascuntur frigidis humidisque regionibus, qualis est illa *Pazquari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LXXXVI.

De ARHARHETSINI, *seu vulneraria medicina.*

Radicibus firmatur ARHARHETSINI fibris similibus, e quibus stipites assurgunt cubitales, aut paulò majores, concavi, rotundi, succosi, et purpurei. Ex his prodeunt folia oblonga et serrata, Chamaedryosve: flore et fructu dicitur carere. Calida est et sicca ordine secundo natura, nam

et odora est, et cujusdam amaritudinis particeps. Ulceribus per se, aut permista *Huaxaten* dicitur mederi. Frigidis provenit locis, quale est *Pazquarum*, et saltus montesque amat.

CAPUT LXXXVII.

De ARANDUQUA, *seu herba unius passus longitudinem aequante.*

Radice firmatur ARANDUQUA fibrata, intus alba, extra fulva, unde oriuntur caules lutei, hirsutique, duos paene cubitos longi, folia supernè viridia, infernè squallentia, hirsuta et Verbasco hac in re tantùm similia, nam minora sunt, obrotunda et serrata. Gustu amara est, odora, calidaeque et exsiccantis ordine secundo naturae. Jus decocti foliorum dicitur pleuriticis mederi. Nascitur *Pazquari* juxta montes.

CAPUT LXXXVIII.

De ATOCHIETL, *seu sylvestri Pulegio.*

Ita vocant Mexicani Pulegii sylvestris ac maximi quoddam genus, montanis exsultans locis; Mechoacanenses verò *Noriten*, flore luteo, parvo et longiusculo. Eadem, qua ceterae differentiae, temperie constat, paralysi medetur, dysenteriis remedio est, aliisque morbis, qui e frigore habent

ortum. Amat loca temperata, aut paulò gelidiora et humentia.

CAPUT LXXXIX.

De ATOCHIETL *altera.*

Herba est dodrantalis, odore et foliis Pulegii, verùm angustioribus, minimè serratis, fibrisque similibus radicibus, tenuibus caulibus, ac floribus utrinque per singulos foliorum exortus luteis, et oblongis, a media caulium parte usque ad summum. Acris est ac quarto ferè ordine calida, verùm cùm primo gustu calefaciat vehementer, mox lingua osque velut grandine contacta frigescunt: quod in plerisque aliis herbis hujus novae Hispaniae observavi. Ad-Pulegii species refertur, ejusque sortitur facultates ac vires. Dolorem capitis levat, si naribus admoveatur, olfiatque, et praecipuè madens aceto; pituitam evocat, et caput emundat. Nascitur *Hoitzilaque* montosis et asperis locis.

CAPUT XC.

De ATOCHIETL *tertia.*

ATOCHIETL *tertia*, quam alii *Dictamum* vocant, allata est ad nos per eadem, quibus reliquae, tempora ab oppidis cujusdam *Gutmani*, Mechoacano proximis. Herba purpureis et longiusculis constans floribus, crassa et fibrata radice, foliis parvis, serratis, forma et odore Pulegii, cujus

citra dubium est species. Ad eam compertum fugere cervos, ubi sagittis se sentiunt transfixos, laethalibusque confectos vulneribus, illaque degustata novas recipere vires, reddique ad cursum promptiores: unde etiam cognitum expertumque plagis recentibus mirè prodesse; his praecipuè, quae toxico infectae sunt.

CAPUT XCI.

De ATOCHIETL *quarta.*

ATOCHIETL *quarta*, quam Mechoacanenses *Tucupachatzitzicui*, seu *florem Dei*, Mexicenses verò *Quauhyayahoal*, seu *plantam rotundam* vocant, Pulegium est a Plinio femina vocatum, radice fibrata foliis Pulegii, et floribus purpureis, spicatis, verticillorum forma, toto ferè caulium ac ramorum procursu, et temperie, facultatibusque Pulegio paribus. Illud est ab Indis Medicis frequenti experimento cognitum, jus decocti ejus enixis mirum in modum conferre, aut herbam ipsam tusam, atque utero emplastri modo applicatam. Nascitur temperatis, sed humectis aquosisque locis, qualis est Mexicensis.

CAPUT XCII.

De TRAGORIGANO *Quauhnahuacensi.*

Adnexuimus praedictis Pulegii speciebus hanc plantam,

quòd multi ex indigenis Hispanis eam Pulegium quoque vocent, cum Tragorigani formae et naturae videatur propinquior. Herba est magna, fibratis radicibus, caulibus purpureis, foliis Majoranae, et sapore Origani Pulegiique, floribus verò oblongis et ex albo rubescentibus, calyculorum figura. Jus decocti ejus menstrua egregiè evocat, cachecticis et hydropicis medetur, obstructiones aperit, colorem vitiatum restituit, discutit flatum, evocat sudorem, impeditos motus explicat, splenem minuit, humoresque altè infarctos educit, lentos verò crassosque extenuat et pellit, appetentiam intermortuam excitat, et vetustis, rebellibus, atque alioqui insanabilibus medetur morbis. Quin tusa et ore gestata folia instar *Picietl* celeritatem addunt venatoribus, ac sitim exstingunt. Temperies est Pulegii, aut Origani. Nascitur montosis locis humidisque calentium regionum, qualis est *Quauhnahuacensis.*

CAPUT XCIV.

De TLALATOCHIETL, *seu humili Pulegio.*

Species est TLALATOCHIETL Pulegii peregrina, Tragoriganive, radice longa, tenui et fibrata, unde prodeunt cauliculi tenues: et in eis folia parva, serrata, Origano similia, binaque per intervalla, et minora, ac flores purpurascentes ex albo, bini quoque, et ab ipso foliorum pro-

deuntes exortu. Calida siccaque ordine quarto natura constat, et cùm ceteris generibus urentior sit, linguam tamen, quam primùm calefacit, paulò post, velut prior *Atochietl* species, reddit impensè gelidam. Jus decocti ejus discutit flatus, dolorem ventris tollit, colicis medetur, frigus pellit, urinamque et sudorem evocat. Provenit montosis ac planis *Xalatlauhei* locis, ubi servari in manipulos redacta in totius anni usum passim consuevit.

CAPUT XCIV.

De TLALPICIETL, *seu Picietl humili.*

Ita vocant *Atlapulcenses* genus quoddam Pulegii, nostrati forma et facultatibus simile, verùm foliis minimè serratis; quamobrem, quae de nostrate dicuntur, de hoc etiam dicta volentes nihil circa ejus naturam docendam addendum putavimus, praeterquamquod contra tussim, atque impeditas motiones proclamant Indi quamplurimùm valere.

CAPUT XCV.

De COAPATLI *Origanoide.*

Herba est COAPATLI *Origanoides*, quatuor ferè cubitos longa, fibrata radice, foliis Amygdali, coccineis flosculis, in vasculis contentis, odora amara, acrique gustu. Calefacit exsiccatque ordine tertio, ac flatum quomodolibet ad-

mota discutit, Origanum videtur odore, sapore et forma aemulari; quamobrem fortassis posset, neque immeritò, ad ejus species referri.

CAPUT XCVI.

De MOTINENSI *herba.*

Radici insistit MOTINENSIS herba fibratae, ex qua assurgunt caules tenues et prolixi, ornati foliis praelongis et angustis, et semine Cardamomo simili, calido siccoque ordine tertio. Tumentibus membris ajunt mirum in modum auxiliari, si ex aqua resoluta illinatur eis. Nascitur in his, quos *Motines* vocant, calida nempè regione provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XCVII.

De altera MOTINENSI *herba expurgante.*

Radici insistit fibratae, ex qua prodeunt caules rubri atque volubiles: et in eis folia parva, Hederae figura, et flores rubei, calycibus similes, vasculaque obrotunda, ubi includitur semen, quod tusum atque ex aqua devoratum drachmae unius pondere omnes humores citra noxam ullam expurgat. Nascitur *Xiquilpae*, et *Tharmabari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XCVIII.

De AMOHUITLI, *seu herba purpurea nascente juxta aquas.*

Frutex est AMOHUITLI, caules ferens multos, quatuor cubitos aut ampliùs longos, geniculatosque, et in eis folia Mali Persicae, flores coccineos, orbiculares, ac velut in umbellas congestos, in quibus gignitur semen exile. Amara planta est, et cujus decocto abluantur perfrigerati. Nascitur in planis et calentibus locis *Hoaxtepecensibus.*

CAPUT XCIX.

De AMOHUITLI *Tyauhtepecensi.*

Herbae Murali similis est, sed majoribus alarum cavis, floribus purpureis, unde nomen. Nullus perhibetur de ea usus: verùm meminisse ejus in hac plantarum enarratione arrisit, quòd indistincta similitudine oleat ferculum ex carne arietina, ovis, pipere et butyro apud nostrates parari ad vespertina jentacula solitum.

CAPUT C.

De MOHUITLI, *seu herba purpurea.*

Herba est radicibus innixa surculosis, e quibus profert caules duos dodrantes longos, sarmentosos, contortos et teretes, flores coccineos, longiusculos: folia Solani,

infernè subalbescentia, quae gustata cucumerem indistincta sapiunt similitudine. Frigida, aut temperata natura constat glutinosaque. Dysenteriis medetur ac nimium menstruorum fluxum cohibet, si aqua ubi aliquandiu trita maduerit, quoties expediat, hauriatur; scabiem curat, inficitque lanas purpureo colore. Nascitur in planis editisque locis *Hoaxtepecensibus.* Non est tamen in hac planta praetermittendum, utrinque ab exortu foliorum prodire ramulos quosdam parvulos, appendicesve refertos foliolis aliis Cupresso similibus, minoribus tamen et tenuioribus. Tales sunt Naturae lascivientis lusus atque varietates.

CAPUT CI.

De AYAUHXOCHITL, *seu flore nubis.*

Quatuor AYAUHXOCHITL fundit radices, columbinis ovis forma pares, paulò tamen majores, e quibus prodeunt caules tenues, rotundique, et binos dodrantes longi, folia minuta et serrata, flores parvi, orbiculares et rubescentes. Radices frigidae sunt temperiei, sapore et odore carentes; quamobrem semiunciae mensura ex aqua devoratae, quoties expediat, febres exstingunt. Nascitur in montibus regionis Mexicanae.

CAPUT CII.

De altera AYAUHXOCHITL.

Radices fundit fibris similes AYAUHXOCHITL *altera*, et ex his caules tenues, fulvos et breves, ornatos foliis angustis, longiusculis, et serratis, adeoque amygdalinis: flores verò in summis caulibus cyaneos, et in spicarum formam paene compositos. Frigida natura aut moderatè calida constare videtur, saporeque et odore insigni carere. Tusa illitaque tensas colli cordas laxare dicitur, atque emollire dolores, febres sedare, et tumores praeter naturam repellere.

CAPUT CIII.

De AYAUHPATLI *Chietlae, seu nubis medicina.*

Non ob aliud id nomen sortita est AYAUHPATLI *Chietlae*, quàm quòd nubes oculorum discutiat. Est verò Frutex folia ferens obrotunda, in acumen tamen desinentia, parvaque et cordis figura, fructum obrotundum ac fulvum. Paululùm calefacit ac nubes oculorum dissipat, unde nomen. Nascitur in calidis ac montanis *Chietlae* locis.

CAPUT CIV.

De QUEYAUHQUILITL, *seu herba serpente per terram.*

Praeter eam herbam, quam Arabes *Kali*, seu *Alkali* vocant, exhibentque plerique recentiorum delineatam, quinque alias, ex quibus vitrum conficitur, reperi, dum in Indos occiduos ago iter, differentias. Trium illarum icones nondo, quoniam apud magnam Canariam, alteram Fortunatarum insulam, eas inveni, cum nondum nactus essem pictores, et ut exsistimo, visuntur quoque in nostro orbe, foliis Sedi vocati vermicularis, sed magnitudine atque crassitudine differentibus. Duas alias delineandas curavi, quae agris Mexicanis sunt frequentes; quarum folia (etsi altera serpat, altera subjecta sit) Portulacae similia sunt, alterius autem flores albi persimiles Scorpiuro, aut *Tlalchichinoae* seu Heliotropii, alterius verò purpurei, et modici, et obrotundiora folia, Numulariae vocatae similia. Priori vis est cum siccitate nonnihil calens, nam et salso sentitur gustu : posteriori verò frigida. Quamobrem prioris folia tusa, admotaque cancerosis ulceribus mirè dicuntur mederi ; posterioris verò erysipelatis, combustionibus, atque adeo quibuscumque repulsione atque refrigerio est opus. Haec *Queyauhquilitl*, altera verò *Totecyxochiu* seu *flos heri* dicitur. Nascitur utraque temperato solo, quale est Mexicanum, non longè ab ejus palude, campestribus et uliginosis locis.

CAPUT CV.

De POPOYAUHQUILITL, *seu herba illustrata.*

POPOYAUHQUILITL, quam alii *Tzihuinquilitl* vocant, herba est edulis, olerisve genus, ex quo Indi suos *tamales* artocreasve interdum permiscere solent. Radicibus innititur fibratis, e quibus prodeunt caules tenues ac teretes, et in eis folia parva et serrata, flores parvi luteique, et exiles siliquae. Calida siccaque natura constat, et cocta vulgare est ac calefaciens nutrimentum. Nascitur temperatis locis, quales sunt Mexicani, in suburbiis et maceriis, et ad Irionis species videtur pertinere.

CAPUT CVI.

De ALAHOACAPATLI *spinifera.*

Spina est ALAHOACAPATLI in Tunae fortassis genera referenda, ternis quaternisve eminens globulis, spithamaeis, foliorum expertibus, horrentibus, stellatis, floribus candentibus, radicibusque longis et tenuibus. Succus ejus semiunciae epotus mensura ante cibos alios calorem nimium sedat. Provenit regionibus paulò frigidioribus, qualis est *Tepoztlanica*, saxosis montosisque locis.

CAPUT CVII.

De AXOQUENIETL, *seu Picietl ardeae.*

Frutex est tenuium fibrisque similium radicum, e quibus proferuntur caules, et in eis folia Mali Persicae, sed majora. Haec amaro prope sapore praedita sunt, et odore jucundo, calidaque et sicca juxta secundum ordinem temperie. Jus decocti foliorum dicitur febres exstinguere, quod qui fieri possit, non video, nisi intensiore calore emollito, et ad inferiorem gradum deducto, sedatis rigoribus, aut alicunde causa vacuata.

CAPUT CVIII.

De AYETL, *seu Picietl aquatica.*

Radici innititur fibratae, atque tuberosae, prolixae, ac digitum crassae, unde edit caules sexdodrantes longos, teretes, laeves, foliisque Limoniae Mali utrinque refertos: flores in summo pallentes, coccineosve, et in capitula velut coacervatos. Illita corpori ardorem exstinguit, frigida siquidem est atque humida natura, et montosis nascitur locis.

CAPUT CIX.

De PICIETL, *seu Yetl herba.*

Herba est *Yetl* radici insistens brevi, tenui et fibratae,

ex qua fundit caules quinque pluresve dodrantes longos, atque hirsutos, inconditos, striatos et laeves, folia lata, oblonga, et Personatae quadamtenus similia: flores Hyoscyami similes, eisque decidentibus vascula, Hyoscyami quoque aemula, referta semine. Vocabant hanc plantam Haitini *Tabacum*, (a quibus non ad Indos solos, sed ad Hispanos quoque id defluit nomen) eo quod suffumigiis admisceretur, quae *tabacos* etiam nuncupare consueverunt. Sunt apud nostros, qui herbam sacram, nec desunt qui Nicotianam quoque vocent. Non est autem unica hujus plantae species; reperias enim et *Quauhyetl* vocatam, candidiore flosculo, caule rotundiore, ac folio laeviore et longiore. Ambae sunt acri sapore, exsiccantis calidaeque ordine quarto temperiei. E quibus intelligas licet eorum errorem, qui arbitrantur frigidas esse plantas, et ad Hyoscyami differentias pertinentes. Nam tametsi nigricanti Hyoscyamo forma dispares haud sint, viribus tamen plusquam ex diametro pugnant. Quòd si soporem inducunt, non evenit ob frigus humoremve, quorum citra dubium sunt expertes, sed calore, excitatis nempe levatisque in caput vaporibus, qui somnum inducant. Jam facultates quotidiano cognitas experimento accipe. Folia siccari permissa, atque in fistularem convoluta formam, inclusaque arundinis cavis internodiis aut papyraceo canali, altera

parte incensa, altera verò ori naribusque admota, atque excepto fumo, obturatis ore et naribus, ut ad pectus usque vapor inspiratus penetrare possit, pituitae expuitionem mirè evocant, asthmati veluti per miraculum auxiliantur, difficilemque halitum, et inde ortam leniunt angustiam. Neque praedictis morbis inspiratus ille vapor, quo diximus, modo tantùm remedio est, sed uterinis etiam affectibus impensè confert, ac praecipuè suffocationibus, quae ob ejus ascensum solent accidere; admoto siquidem medicamento in dicatum sibi locum dicto citiùs restituitur, syncopes fugatur, et angustia morsque magna ex parte in morbidae mulieris corpus jam admissa atque excepta amovetur; roboratur caput, somnus inducitur, sedatur dolor, ventriculus resumit vires, curatur gravedo, laborumque omnium casuumque sensus hebetatur, ac otium facultatis animalis (quod possis ebrietatem quamdam vocare) prorsus illabitur animo. Quin folia ipsa virentia, manibus oleo perunctis emollita et velut marcida, concalfacta igne, et ori ventriculi dorsoque e regione applicata, ita tamen ne hepar attingatur, quod aliàs incenderent, atque inflammarent, coctionem juvant, et satietati egregiè medentur. Eadem tumores lienis discutiunt apposita, dolores a frigore ortos sedant, vulnera cancerosa antiquaque extergunt, carnem creant, et cicatrice obducunt, si succum foliorum

mediocriter contusorum vulneri instillaveris, ac mox arentium pulverem inspergas, et demum folia superponas, ex quibus succum expresseris. Sanant eodem modo capiti inflictas plagas, dum tamen neque nervi, neque ossa aut laesa aut convulsa sint. Dolores dentium concalfacta sedant, convoluta et loco dolenti, aut dentibus pituita excavatis perforatisve admota. Quin et foliorum pulvis inspiratus tractusque naribus verbera et cujusvis generis supplicia vetat sentiri, vires addit, auget animum, et ad labores tolerandos infractam vim. Illi verò, qui e cortice, quantum capiat putamen nucis, devoraverint, ita inebriantur, ut semimortui amentesque extemplo jaceant. Verùm qui eo auxilio frequentiùs, quàm deceat, uti assuescunt, redduntur decolores, linguam gestant squallidam ac palpitans guttur, hepatis ardore afficiuntur et in cachexiam et hydropem lapsi mortem tandem obeunt: at qui eo praesidio utuntur moderatiùs, a multis aliis liberari solent incommodis; nam praeterquamquod morbo gallico egregiè auxiliatur, venenatis sagittarum ictibus mirè obsistit, si mox plaga infarciatur pulvere, et ita permittatur manere, donec et pulvis et venenum in clavi cujusdam formam copulentur, et coëant. Hoc remedii genus desumtum est ab Indis antropophagis insularum Haitinae propinquarum accolis, qui cum ab hostibus venenatis oppeterentur plagis, hac herba sola sibi

caventes reddebantur passim incolumes, confirmatumque est testimonio insulam Divi Joannis incolentium, qui cum adversùs Indos illos bellum gererent, multisque ejusmodi afficerentur vulneribus, solo hoc antidoto atque praestantissimo alexipharmaco extremum fatum effugêre, quoties viscera transfigi non contingebat. Quin articulares dolores sedari tumoresque eo solo auxilio resolvi, apud Hispanos etiam agens noveram: flatum etiam discuti, et inveteratos rebellesque dissipari dolores: pulicum quoque vitatur fastidium, si jure decocti foliorum universa domus conspergatur. Seritur, ut Lactucae, neque aliter, cum expedit, transfertur, et colitur, nullum, modo pingue et humectum sit, solum respuens. Paratur ex ejus foliis arefactis atque contritis decem partium mensura, et unica calcis medicamentum adeo ab Indis omnibus expetitum et venale, ut illo ferveant emporia: venditur involutum foliis spicae Maizii, gestatumque inter buccas et maxillas suavem somnum, sensuumve et mentis tranquillam quietem inducit, et laborum omnium hebetat sensum, redditque homines ad quaevis corporis exercitia promtos atque agiles, et praecipuè ad iter agendum: dolorem etiam dentium ac ventriculi levat, praestatque alia, quae licèt a nobis nominatim dicta non sunt, possunt ex praedictis facilè comprehendi: interque illud vulgare non est, oleum, cui sit infrixum concisum in te-

nuia frusta infusum colicis mederi, necnon succum ejus et nucleorum *Tliltzapotl* vino permistum atque infusum, et folia Elychnii modo obdita ano quartanam arcere ac reliquarum febrium frigora.

CAPUT CX.

De TLALYETL, *seu Yetl humili.*

Radici innititur TLALYETL, quam *Cioapatli Tonallae* vocant, surculosae et candenti, unde prodeunt caules referti foliis subalbidis, oblongis, mollibus, serratis et hirsutis. Flos est in summis caulibus Chamaemelo similis, sed circa ambitum Bellidis modo, cujus est species, purpurascens. Acris est radix, calefaciensque et exsiccans ordine tertio. Succus ejus bibitus duarum unciarum mensura tussi magnopere confert, et enixis mirum in modum opitulatur. Nascitur *Xalatlauhci.*

CAPUT CXI.

De TLALYETL *altera.*

Radicibus innititur TLALYETL *altera*, quam alii *Quaquauhtzontic*, alii *Tonalxihuitl*, alii *Micatlacotl*, et *Micaxihuitl* vocant, fibris similibus: unde prodeunt caules tenues, teretes ac virides: et in eis folia saligna, minora tamen, et non longè ab exortu veluti praecincta atque

compressa, aliisque valde parvis atque angustis ab eadem ferè parte ternis aut quaternis prodeuntibus : flores verò aurei juxta postremos caules, et exilia flagella, Chrysanthemo similes, virentibus et obrotundis calyculis inclusi atque contenti.

CAPUT CXII.

De QUAPOCYETL, *seu Tabaco ligneo.*

Radicibus firmatur QUAPOCYETL pollicaris crassitudinis, longis, ex albo rubescentibus, et crasso cortice vestitis, et candentis medullae. Folia fert parva, squallentia, hirsuta, obtusa et mollia : flores luteos modicos. Radix dicitur repellere inflammationes ; frigida enim est, siccaque et adstringens, etsi nonnihil videatur praeseferre amaritudinis et caloris. Nascitur *Yztotolani.*

CAPUT CXIII.

De AMAQUAHUITL, *seu arbore papyri.*

Arbor est magna, Mali Medicae foliis, flore ac fructu candido, in corymbos composito, sapore et odore ferè nullo, frigidaque et sicca natura. *Tepoztlanicis* provenit montibus, ubi frequenter interpollatur ex ea papyrus, fervetque opificum turba, scribendo trahendisque lineis non multum apta, etsi non transmittat atramentum, involucris

aptior ac celebrandis deorum fastis sacrisque, conficiendis vestibus, ac funerariis exornandis apud hos occiduos Indos perquam accommoda, atque utilissima. Rami crassiores secti ex arboribus, ut duret soboles, macerantur ex aqua, ac per noctem permittuntur rivis aut fluminibus madescere. Sequuta die vellitur cortex, emundatusque a superna cuticula lapide plano, sed quibusdam striato sulcis, inaequalique sude saligna in orbem contorta manubrii vice comprehenso, multis ictibus concussus dilatatur. Cedit sequax illa materies, mox secatur in schedas, quae alio planiore lapide rursus verberatae facilè inter se jungun-tur, laeviganturque, atque ita demum aptantur in plagulas, duos dodrantes longas ac sesquidodrantem plùs minùs latas, papyrum nostratem, quae crassior ac vilior est, imitantes, sed densiores, et candidiores, at longè tersiori nostrae cedentes. Scio nationes alias aliter atque aliter papyrum ex arborum corticibus parare, Sinas autem omnium tenuiorem ac tersiorem, qualem nos domi servamus, velut quondam e junco, nunc verò vetus orbis e Lino redacto in farinam parat, sed nobis tantùm sermo est de Mexicana.

CAPUT CXIV.

De AMACOZTIC, *seu papyro lutea.*

AMACOZTIC, quam alii *Texcalamatl* seu *saxorum papy-*

rum, alii *Tepeamatl* vocant, arbor est magna, folia ampla ferens, obrotunda, pinguia, purpurascentia, Hederae, ac cordis ferè figura: corticem altera parte pallescentem ex viridi, et altera fulvum, in ipsis verò stipitibus, qui ficulnei sunt et leves, in modum Sycomori fructum ficubus parvis similem, purpurascentem, semine minuto ac fulvo refertum. Adhaeret saxis non mediocriter, spectando miraculo. Folia sunt saporis et odoris insignis expertia, frigefacientis naturae, atque humectantis. Jus decocti radicum linguam febrientium humectat, pectoris doloribus confert, pituitam ac bilim nondum excusso lacte supra infraque purgat, si unciae tres totidem aquae libris adusque medietatis consumtionem incoquantur. Lac ejus medetur ulceribus labiorum ceterisque inveteratis. Provenit *Chietlae*, montosis asperisque locis, cautes, ut diximus, indicatque nomen, amplexa. Est et alia eodem nomine ac temperamento arbos, quam virgarum tantùm rectarum laeviumque usum ajunt praestare.

CAPUT CXV.

De AMAZQUITL, *seu unedone papyracea.*

Folia fert AMAZQUITL Limonis, sed magis acuminata. Comata est et umbrae tantùm gratia expetita. Ad genera *Ytzamatl* videtur, velut et praecedens, pertinere; nam licèt

poma minora sint, neque ponticis nucibus majora, candidis velut et illa distinguuntur punctis, et intra se continent granula ficulneis forma et natura similia: materies etiam levis est, ac parùm distans a ficulnea. Provenit locis calidis, qualis est *Chietla*, ubi febrientibus accepimus jus decocti corticum radicum valde prodesse.

CAPUT CXVI.

De AMATZALLIN, *seu herba multifida.*

Herbula est AMATZALLIN tota exilis, flores promens minutos, et ex candido paululùm rubescentes: odora, amara, et calefaciens. Folia trifida sunt, longa et angusta, et tamen Indi Medici illitam contendunt finire febres, evocata fortassis morbi causa ad cutim, aut, ut ipsi ajunt, calore febrili medicamenti calore evocato. Nascitur in calidis montosisque locis *Quauhquechulae.*

CAPUT CXVII.

De TLACOAMATL, *seu virga papyracea.*

Species videtur nostratis Mori, a qua nec forma, nec facultate, aut eduli fructu, plurimùm distat. Vocata autem est TLACOAMATL ob similitudinem, quam habet cum *Amaquahuitl* magnitudine, forma, foliis, odore, corticisque et materiei tenacitate. Folia ergo fundit *Tlacoamatl* Mori, sed

tamen magis acuminata, flores albos, modicos, in Mori fructus, sed longiusculi et tenuioris formam compositos, edulis, acidi, sed per maturitatem dulcis purpureique, et grati saporis. Caulium cortice mundatorum ramenta ulcera antiqua et putrida curant. Quovis caelo germinat, floret mense Maio, estque glutinosae et paululùm calentis naturae. Hispani indigenae Morum Indicam vocant, Mexicenses verò arborem *Tlaçoamatl*, ut diximus, ob eam, quam habet cum *Amatl* similitudinem, fructum verò *Amacapolin*, quoniam fructui *Capolin* vocato, fructus colore edulique natura, et quadamtenus etiam sapore et facultate similis est. Provenit calidis et frigidis locis, nec temperatum caelum, quale est Mexicense, fugit.

CAPUT CXVIII.

De AMATZAUHTLI, *seu glutine papyraceo.*

Radices fundit fibris similes AMATZAUHTLI, folia *Metl* parva, et in coccineum inclinantia colorem: caulem teretem, laevem, ac sex longum dodrantes: florem modicum et luteum, *Tzauhtlnio* haud dissimilem, purpurisso vermiculatum. Frigida et humida planta est, nulloque insigni sapore aut odore. Succus est praecellens medicamentum adversùs omnem distemperiem cum siccitate calidam, quocumque modo admoveatur. Est etiam usus apud Indos flo-

rum. Montosis saxosisque locis provenit calidiorum regionum, qualis est *Tepoztlanica*, ubi eam curavimus depingendam.

CAPUT CXIX.

De AMATIC *Teocaltznicensi, seu herba simili Amatl.*

Radici innititur candenti ac parvae, ex qua oriuntur caules modici, fusci, et folia Origani. Radicum decocto colluitur os ulcusculis affectum, atque ita pristinae restituitur saluti: adstringentes enim sunt, frigentisque aut modicè calentis temperiei. Nascitur in calidis.

CAPUT CXX.

De AMATIC *secunda.*

Caules fundit AMATIC *secunda* fulvos, sex cubitos longos ex radice crassiuscula, sensim gracilescente et fibrata, et in eis folia Quercus serrata, et minora: flores in postremis ramis exiles, et purpureos, verticillis quibusdam adnascentes. Frigida, siccaque et adstringenti natura constat, et tamen *Ocpayocanenses* Medici, apud quos micat campestribus in locis, ajunt dolorem capitis naribus infusam mitigare.

CAPUT CXXI.

De AMATLAXIHOITL, *seu herba humili papyracea.*

AMATLAXIHOITL herba est ita vocata, quòd sub arbo-

ribus, ex quibus Indica papyrus paratur, nasci soleat: binos ternosve longa dodrantes, radice oblonga et fibrata, foliis Ocymi, paulò tamen majoribus, et magis acuminatis: corymbis candentium flosculorum referta, qui tandem vertuntur in acinos coccinei coloris, Coralis modicis et orbicularibus persimiles. Gravem odorem spirat, nulliusque narratur esse usus, praeterquam florum: tamen ob ejus jucundum aspectum delineandam memorandamque curavimus.

CAPUT CXXII.

De TLACOAMATL.

Frutex est foliis Mori, sed angulosis: fructu alterius Tlacoamatl, seu *Amacapolin* simili, edulique, et ejusdem facultatis. Nascitur ubique, sed praecipuè calidis locis.

CAPUT CXXIII.

De ITZTACTLALAMATL.

Herba est sex dodrantes longa, radicem fundens tenuem et prolixam, et ex ea folia hirsuta, cinerea, et obrotunda, caules in purpureum inclinantes ac hirsutos, et flores luteos et modicos. Sapor est leguminis, frigidaque et sicca natura: quo fit, ut radix in farinam redacta conferat ulceribus cancerosis. Provenit in montibus *Tepuztlanicis*.

CAPUT CXXIV.

De altera YZTACTLALAMATL.

Radici insistit longae et tenui, fibrataeque YZTACTLALAMATL, unde prodeunt caules sexdodrantes longi, folia per intervalla terna, oblonga, Ocymo ferè similia, finientia in cuspidem et aliquantulùm scabra, flores candentes, vergentes in colorem coccineum juxta summos ramulos. Radix frigidae est, ac siccae naturae, odoris ac saporis expers. Succus ejus nubes discutit et medetur leucomatis. Provenit in campestribus *Xochitepecensibus Quauhnahuacensis* agri, calidis humidisque in locis.

CAPUT CXXV.

De YTZAMATL, *seu papyro novaculari.*

Arbor est vastae magnitudinis, ita vocata, quòd *Amaquahuitl*, ex qua papyrus paratur, sit similis, sed foliis novaculae forma. *Haitini Ceibam* vocant. Duae sunt ejus species, altera foliis Mali Medicae, infernè diluti, supernè exsaturati viroris, fructu orbiculari, albis maculis distincto, ac referto granulis, ficuum granis similibus, edulique, et saporem nostratium, ficuum referente, unde indigenae Hispani arborem Ficum indicam vocant, fructum verò Ficum: quam arborem accepi apud Panucenses bis singulis quibusque annis proferre folia, largos imbres, dum viridia ac

tenera sunt, effundentia ac velut stillantia. Altera latioribus, sed tamen obtusioribus, et nigrioribus, unde quidàm *Tlilamatl* vocare malunt, fructuque minori. Materies est utrique lenta ac brevis. Nec quicquam aliud intellexi, quod ad usus medicos posset spectare, praeterquamquod folia frigida siccaque facultate pollent, et opitulantur ulceribus, mannam etiam vocatam ab Arabibus super eam praecipuè apud *Hoaxtepecenses* cogi, simillimam nostrati et forma et viribus, sed paulò duriorem et glutinosiorem, quamquam aliis in locis hujus novae Hispaniae, quales sunt *Quauhnahuacenses*, optimam, nec cedentem illi, quae ex Campania adfertur, soleat concrescere super Salices.

CAPUT CXXVI.

De TLALAMATL.

Frutex est Salviae foliis, pinguioribus, et mollioribus: floribus spicatis, parvis et coccineis; ex quibus procedente tempore acini producuntur. Folia tusa ac pugilli mensura ex aqua devorata dicuntur humores omnes leniter, ac citra molestiam ullam vacuare per superna, et tamen frigida adstringentique et glutinosa videtur constare natura. Nascitur in frigidis, floretque mense Februario. Ethnae accolae *Quauhtlalmatl* vocant, ajuntque radicem laevigatam et inspersam mederi ulceribus.

CAPUT CXXVII.

De TLALAMATL *Atatacensi.*

Reperi non procul ab Ethna Mexicana genus quoddam TLALAMATL, frigidae, siccaeque et adstringentis naturae, cujus semen lentibus multis inter se cohaerescentibus simile erat, folia verò longa et angusta, quod tamen depingendum non curavi, quòd plures plantae nobis jam tunc delineatae essent, quae similibus pollerent viribus.

CAPUT CXXVIII.

De altera TLALAMATL.

Frutex est radicibus innixus fibris similibus, foliis Mali Punicae, ternis, floribus in summis caulibus purpureis, in spicarum formam compositis. Frigida et sicca constat temperie, aut moderatè calida. Ulceribus medetur ac febrilem calorem sedat, inflammatisque oculis, eorumque argematis medetur.

CAPUT CXXIX.

De TLALAMATL *tertia.*

Volubilis est genus lacte manans, radici innixum fibratae, unde caules proferuntur virore saturato tincti, tenues, teretes, laevesque, et ornati foliis raris, oblongis,

squallentibus et hirsutis infernè : floribus verò candentibus et parvis, ac fructu Siliquastro simili, lanugine ac semine referto, ab illo *Tlallayotli* parùm distanti ; verùm nec variato, nec spinifero, qua in re differt ab ea, et ab alia planta, quae vocatur *Quaquauhton*. Liquor ab ejus germinibus confractis stillans ulceribus antiquis opitulatur. Sapore et odore caret, frigidaque et humida temperie constat. Provenit in calidis *Oapani*. Vidimus duas alias herbas eodem nuncupatas nomine apud *Tepoztlanenses*, quas tamen, quòd nullius utilitatis apparerent, praetermisimus.

CAPUT CXXX.

De TLALAMATL *quarta.*

Radice firmatur longa, tenui et fibrata TLALAMATL, quam alii *Tlalcimatl* seu *Cimatl humilem*, alii *herbam Joannis infantis*, quidam Mechoacanenses *Turiripitaqua*, alii, verò *Quereri* vocant : ex qua proferuntur caules purpurei per terram serpentes, folia obrotunda, Nummulariae proxima, terna, purpurei et spicati flores, semenque parvum et rotundum. Frigida, siccaque et adstringenti natura constat, necat pediculos, medetur vetustis ac recentibus plagis, et vacuatis humoribus dysenterias et abortum coërcet ; tusa verò ac duarum drachmarum pondere devorata dolores e morbo gallico ortos sedat, et illita oculis eorum in-

flammationes. Nascitur temperatis locis aut paulò frigidioribus, quales sunt Mexicani ac non pauci ex Mechoacanensibus.

CAPUT CXXXI.

De QUERERI, *seu planta adhaerescente vestibus.*

Est et alia herba, quae sub *Joannis* quoque *infantis* nomine circumfertur, quam ea de causa praecedenti libuit adnectere. Fibratis haec firmatur radicibus, unde prodeunt caules volubiles: et in eis folia similia praecedentibus, sed longè majora et pluribus distincta interveniis, necnon siliquae parvae, tribus tantùm gravidae nucleis. Plagis et recentibus et antiquis ferunt magnopere opitulari, nec hominum tantùm, sed etiam quadrupedum, quibus persanandis frequens ejus est usus, et oculis inflammatione tentatis egregiè subvenire. Nascitur in calidis siccisque *Huacanae* locis.

CAPUT CXXXII.

De TLATLALAMATIC, *seu herba simili Tlalamatl.*

Radicibus firmatur surculosis similibus, binis ternisve, unde prodeunt caules purpurascentes juxta genicula, quae habet per intervalla, teretes, laeves ac tenues: et in eis folia rara, longa et angusta, adeoque Tragopogi flores in summis caulibus, oblongis vasculis contentos, illis Hyoscyami similibus. Calida herba est ac guttur urenti tem-

perie, quamvis per initia dulcis appareat et grati saporis. Radix semiunciae pondere exhiberi solet ex melle *Maguei* his, qui satietate, et acore ventriculi afficiuntur. Nascitur in collibus arentibus regionum frigidarum, servaturque ab Indis ad similes usus.

CAPUT CXXXIII.

De HOEIAMATL, *seu Amatl magna.*

Arbor est magna HOEIAMATL, foliis Mali Medicae amplis, stipitibusque subalbescentibus. Calefacit siccatque ordine quarto, subtilibusque et acribus partibus compingitur. Scabiei et leprae medetur illita, flatumque et ventris dolorem jus decocti infusum solvit. Provenit *Hoaxtepecensibus* calidisque aliis locis spectatu pulchra, sed fructus florisque, ut incolae testantur, orba.

CAPUT CXXXIV.

De ATZAPOTL, *seu pomo aquatico.*

Consuevere Mexicani, apud quos linguae totius Novae hujus Hispaniae proprietas atque facundia viget, vocare universali quadam nuncupatione Poma ferè omnia, quae dulci sapore constant, *Tzapotl*; velut *Xocotl*, quae acido. Illorum alterum genus vocatur *Atzapotl*, seu *Tzapotl aquaticum*, ita dictum, quoniam ejus arbos juxta aquas, aquo-

save loca soleat provenire. Arbor est magna, foliis Mali Medicae, septenis, juxta ramorum extrema, floribus albis stellatisque, e quibus generatur fructus obrotundus, magnus, atque internè pallens, dulci sapore, insalubri ingratoque alimento, febresque, ni modus adsit, excitante; intùs latet ossiculum, praecipuum phagedaenicorum ulcerum medicamentum. Arbor *Atzapotlquahuitl* vocatur, pomum verò, quemadmodum diximus, *Atzapotl*, in melonis parvi quandoque auctum magnitudinem et suavi praeditum odore. Provenit regionibus paulò calidioribus juxta foecunda et aquosa loca.

CAPUT CXXXV.

De ILLAMATZAPOTL, *seu pomo vetularum.*

Arbor est ILLAMATZAPOTL, quam Haitini *Guanabanum* vocant, magna, foliis Mali Medicae, fructu oblongo, magno, primo viridi, sed post maturitatem fusco, pallentive, et quibusdam velut delineatis squamulis interstincto, internè verò molli et candenti, salubris alimenti, saporis dulcis et quadamtenus similis fructui *Cacaoatl.* Regionibus provenit calidis et fertilibus, qualis est *Quauhnahuacensis*, ubi eam arborem curavimus depingendam.

CAPUT CXXXVI.

De TLALTZAPOTL, *seu Tzapotl nigro.*

Arbor est procera, Mali Medicae foliis, fructu Malicotonei mediocris forma et magnitudine, primò extra viridi, mox fusco, et tandem nigro, intra verò perpetuò nigro, unde nomen, molli, ac granulis fulvis referto, eduli, calentis alimoniae, satietati opitulantis, et grati quibusdam, cum maturuit, saporis, ante maturitatem verò adeo urentis naturae, ut leprae medeatur, tineae, impetigini, et scabiei, interimatque inspersus fluminibus pisces. Nascitur in calidis regionibus, hortensibus praecipuè atque humidis locis.

CAPUT CXXXVII.

De TZATZAPOTIC, *seu frutice simili Tzapotl.*

Frutex est volubilis, foliis *Tzapotl*, unde nomen, flore et fructu carens. Jure decocti foliorum perungunt Indi addito *Axin* corroborandi gratia eos, qui resurgunt ab aliqua aegritudine: caret enim odore ac sapore insigni, frigidaque constat natura, et febricitantibus perquam accommoda. Nascitur in calidis *Tyauhtepecensibus* juxta fauces, et humecta montium loca.

CAPUT CXXXVIII.

De TEZONTZAPOTL, *seu pomo colorem Tezontli lapidis praeseferente.*

Arbor est magna TEZONTZAPOTL, quam alii *Mamei* vocant, stipites fundens fulvos, folia Mali Medicae, dena undenave juxta postrema ramorum stipitumve cacumina, flores in ipsis stipitibus, e quibus demum generantur poma magna, ovorum figura, coloris, ut diximus, lapidis *Tezontli*, unde nomen: callo verò principiò candenti, et postea coccineo, os includente magnum, laeve, et refertum nucleo. Est autem pomum Maliscotoneis conditis gustu persimili, ac mediocriter jucundo nutrimento, sed non admodum salubri. Nucleus inclusus osse addi solet *Cacaoatl* potioni, illini capillis, ne findantur, sed integri servati flavescant, *xicaris* vero vocatis, et omnis generis materiei, eodem modo commendandi coloris gratia. Cortex ossis ejus medetur cordis affectionibus, tusus verò ac bibitus ex vino renibus et lapidi. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Quauhnahuacensis.*

CAPUT CXXXIX.

De TOTOTZAPOTL, *seu Tzapotl avis.*

Arbor est magna et visu conspicua, folia fe-

rens hirsuta, crassa, et Mali Medicae forma, sed tamen magis acuminata, pomum parvum, coccineum ac saporis grati; nec quidquam aliud, quod memoria dignum existimarem, de hac arbore accepi.

CAPUT CXL.

De TZAPOQUAHUITL, *seu arbore Tzapotl.*

Arbor est non mediocris TZAPOQUAHUITL, folia ferens magna, serrataque, multis distincta interveniis, et ad Mali Medicae formam nonnihil accedentia. Jus decocti corticum exceptum gossypio ac naribus auribusque instillatum dolorem capitis, dentium, atque oculorum dicitur tollere. Nascitur temperatis locis *Hoeiacocotlae*, humectisque agris.

CAPUT CXLI.

De XICOTZAPOTL, *seu Tzapotl apis.*

Arbor est XICOTZAPOTL magna, foliis Mali Medicae, minoribus, fructu Mespili forma, magnitudine et colore, sapore tamen malorum, quae vocant nonnulli *apiana*, cum jam semiputria sunt, ossa includente plana, acuminata, terna quaternave, nigra et nitida, alicubi tamen candicantia, boni nutrimenti gratique, sed vel binis ingestis gravi et fastidioso. Nascitur in calidis montosisque, aut cultis et hortensibus locis.

CAPUT CXLII.

De COCHIZTZAPOTL, *seu Tzapotl somnifero.*

Arbor magna est atque incondita, foliis Mali Medicae, raris ac ternis, stipitibus albis naevis distinctis, floribus pallentibus et modicis, fructu verò Cotonei forma et magnitudine, vocato a nostris Hispanis *albo Tzapotl*, eduli, saporis grati, sed non admodum salubris nutrimenti, et ossis nucleo laethali ac deleterio. Cortex arboris siccus est, ac paululùm dulcis non sine quadam amaritudine: folia tusa et apposita nutricum papillis infantulorum medentur diarrhoeis: ossa usta et in farinam redacta opitulantur ulceribus putridis vitiata carne prorsus exesa atque absumta, purgato ulcere, carne generata, ac cicatrice mira quadam celeritate inducta: poma ingesta somnum conciliant, a quo invenere nomen. Nascitur in calidis frigidisque regionibus.

CAPUT CXLIII.

De QUAUHTZAPOTL, *seu Anona.*

Quam Mexicani QUAUHTZAPOTL vocant, Haitini *Anonam* nuncupare consueverunt, sub quo nomine apud Hispanos hujus regionis incolas frequentiùs circumfertur, alii verò *Texaltzapotl*, arbor est magna amplaque, foliis Mali Medicae, sed angustioribus: floribus candidis, tricuspidibus,

similibusque pyris musteis gratia et suavitate odoris: fructu desuper punctis fulvis et virentibus variato, melonis ferè magnitudine, nec absimili *Illamatzapotl*, cujus interna, quae nigro semine parvoque scatent, ferculo vocato ab Hispanis candido, mollitudine, colore et sapore similia sunt, non tamen pari gratia, atque nutrimento, quòd flatuosum est, neque admodum probati succi. Germina ejus dicuntur obsistere venenis, nuclei verò pomorum curare diarrhoeas, etsi acceperim inter *Tzontzonate* ac *divum Servatorem* genus quoddam Anonae provenire, cujus seminis nuclei decem duodecimve devorati leviter ac sine molestia bilem ac pituitam purgent. Nascitur regionibus calidis, qualis est Haitina Insula, et Provincia novae Hispaniae *Quauhnahuacensis.*

CAPUT CXLIV.

De QUAUHTZAPOTL *secunda, seu Tzapotl montana.*

Arbor est magna foliis Mali Medicae, minoribus tamen atque obtusioribus, multisque distinctis interveniis, fructu verò *Xicotzapotl* forma et natura persimili, sed tamen majori. Nascitur regionibus calidis ac montosis *Colimae* locis, etsi cultura atque indulgentia jam ad campestria et hortensia loca descenderit.

CAPUT CXLV.

De TZAPOTL *Haitino, seu Mamei.*

Arbor est magna et visu spectabilis, amplis, longisque foliis, fructu Malocotoneo simili, lutei coloris, neque admodum mali aut ingrati nutrimenti, nucleis verò magnis, binis ternisve. Nascitur in calidis, qualis est Haitina insula, coepitque in novam Hispaniam transferri diligentia Bernardini Castilli, viri militaris ac probi, in cujus celebri horto *Quauhnahuacensi* imitandam penicillo curavimus.

CAPUT CXLVI.

De AMOLLI.

Amolli seu *Indicum smegma*, *sapo*ve, herba est parva, crassa, brevi, et fibrata radice, foliis porraceis, caule viridi, dodrantem longo, floribus vasculis contentis ex albo rubescentibus et capillamentis similibus. Radix saponis vicem praebet, unde nomen; nec cederet nostro, ni lotae ex eo vestes pruritum quemdam excitarent. Nullam insignem qualitatem videtur praeseferre, si glutinosum quidpiam excipias, quod sese gustantibus offerre solet. Provenit montosis locis temperatarum regionum, qualis est Mexicensis.

CAPUT CXLVII.

De YYAMOLIN.

Frutex est YYAMOLIN, ita vocatus ob fructum cocto ferculo similem, quòd a solis contingit calore, multos a surculosa radice proferens ramos, Limoniae Mali folia, caules teretes ac virentes, et flores in corymbos octo uncias longos compositos, densos et coccineos: e quibus profertur fructus malvaceo semini haud absimilis, multiplex, primò virens, postea ruber, ac tandem purpureus, atque niger, et attrectantium inficiens purpureo colore manus. Calida et urenti natura constat, amaroque et acri sapore. Sanat impetigines tineasque, et non minùs ac praecedens planta, pro smegmate est, bullas excitat, tumoresque rumpit praeter naturam. Quovis tempore provenit regionibus temperatis, qualis est *Tetzcoquensis* in convallibus et campestribus locis.

CAPUT CXLVIII.

De AMOLXOCHITL, *seu flore Amolle.*

AMOLXOCHITL radices fundit porraceis similes fibratasque, et ex his caules, foliis quoque porraceis ornatos, sed amplioribus, spicatos flores, oblongos, atque rubescentes. Eumdem ferè, quem praecedentes duae plantae, extergen-

dis lanis ac vestibus usum praestat, ac temperatis regionibus, qualis est Mexicana, provenire solet.

CAPUT CXLIX.

De APINTLI, *seu herba erecta.*

Bulbosa radice constat APINTLI, et fibrata, foliis Spathulae foetidae, sed majoribus, numerosis, interveniis multis secundùm longitudinem discurrentibus distinctis, necnon juxta radicem quibusdam rubescentibus punctis, et luteis flosculis. Odora est, acida, et non sine quadam adstrictione glutinosa: utilis est, velut et *Amolle*, cui videtur congener, abluendis vestibus, quae tamen lotae ea herba pruritum etiam solent excitare. Venenatorum serpentum morsibus remedio est aqua, ubi aliquandiu contusa maduerit, epota, admotaque vulneri, atque ipsis inflammationibus applicata radix. Pulvis verò seminis gossypio inspersus et dentibus adjunctus dolorem eorum sedat, pituitamque trahit et expurgat. Est et alia *Apintli* differentia foliis undiquaque maculatis, latioribus, rarisque, ad *Amolle* quoque pertinens genus, et ad easdem res utilis. Provenit calidis regionibus, qualis est *Tepoztlanica*, ubi eam depingendam, et icone exprimendam curavimus.

CAPUT CL.

De QUILAMOLLI, seu herba Amolli.

Herba est tenui longaeque innixa radici, ex qua prodeunt caules volubiles, flores candentes et praelongi calycum forma, folia cordis figura mediocris magnitudinis. Sapore et odore insigni caret, frigidaque et humenti natura constat. Folia resoluta ex aqua, illitaque, medentur inflammationibus, dolorem capitis applicata sedant, calorem nimium pellunt, et oculis puerorum inflammatione tentatis prosunt, denigrant capillos, lichenibus medentur, et pruritum sedant: succus devoratus bilim ac pituitam per superna pellit, surculi verò in penem immissi evocant urinam. Nascitur in calidis collibus *Yztlani.* Est et alia herba ejusdem nominis ac facultatis, et huic, ut conjectari potest congener, sed foliis circa exortum a pediculo minimè bifidis, de qua haec pauca dixisse sufficiet: quin et Bryoniam nostram *Chichicamolle* vocant Indi, ajuntque jus decocti infusum mirè pituitam purgare, et gallico morbo, aliisque aegritudinibus, in quibus impeditur motus, antiquis ac rebellibus mederi.

CAPUT CLI.

De MOLLE.

A Peruina regione in hanc Novam Hispaniam, imò Hispaniam Europaeam planta, quam MOLLE vocant, jamdiu est advecta atque translata. Arbos procera, visu pulchra, et ornandis domorum compluviis publicisque foris aptissima. Comata, in latum expandens undiquaque ramos, e viridi colore purpurascentes, ubi folia Olivae profert, sed longè angustiora et tenuiora, ordine utrinque disposita, et obliquè versùs ramos extremos procedentia: flores exiles, albos, racematim dependentes, qui mox in fructum virentem, Oxyacanthae semini parem, aut paulò majorem abit, et cum maturuerit, in colorem ex albo rubescentem: cui nucleus durus subest, extraque circumvestiens membranula ejusdem coloris. Folia ac fructus Lentiscum, et ejus lacrymam olent, resipiuntque, sed commistum Foeniculo, unde fortassis aliquis in Lentisci eam referat speciem, ni malit esse sui generis herbam; sed sapore est acri, subdulcem amaritudinem et adstringentiam praeseferenti, calidaque et sicca ordine tertio natura. Acini caro exterior dulcis est, verùm, quo diximus, sapore nucleus. Ventrem superiorem corroborat calefacitque, inferiorem adstringit et, ut quidam ajunt, Terebinthi vicem praestat,

semen verò cardamomi: urinam elicit, vulnera recentia et inveterata consolidat, sanguinis fluxum retinet, curat hemorrhoidas, arthriticis opitulatur, nubes oculorum dissipat, flatus discutit, et membra corroborat: corpora nimis fluxa et humecta exsiccat, et aedemata lotionibus addita dissolvit: quae omnia luculentiùs praestat fructus, seu extrinsecùs admotus, seu intra corpus assumtus. Gingivas etiam dentesque confirmat, et ulceribus oris medetur. Stillat ab ea arbore lacryma calefaciens, et adstringens, quae praeterquamquod ad praedicta omnia utilis est, in aquam conjecta pituitosos mistosque humores purgat. Parare solent ex uvis indigenae, ut audio, vinum, acetum et mel ad eadem efficacia. Folia ac fructus virent toto anno, aliis subnascentibus, aliis crescentibus et aliis maturescentibus. Sylvestris arbor est, neque ullis lenociniis, aut cura, ut proveniat, opus habet; quamquam in deliciis jamdiu haberi coeperit, cultumque et indulgentiam libenter admittat. Provenit ubique, seu semine, ramo aut viviradice seratur, sed in calidis regionibus luxuriat et laetior assurgit.

CAPUT CLII.

De AXOCOPACONI, seu acida lotione.

Frutex est foliis Limoniae Mali, gratissimi odoris, ac interdùm rubescentibus: flore e pallido vergente in cocci-

neum, et fructu ternis simili granulis. Adstringenti natura constat, et nonnihil calida. Miscentur flores aquae epotandae, potionique *Cacaoatl* corroborationis gratia: vestibus quoque adjunguntur folia, ut gratum concilient eis odorem, et tineas aliaque animalia eas corrodentia ac devastantia longè pellant, atque fugent.

CAPUT CLIII.

De AYACACHQUIMICHI, *seu crotalo muris.*

Herbula est AYACACHQUIMICHI odore, gustu ac foliis Salviae, sed minoribus, et fibrata radice. Tusa ex aqua, atque illita corpori scabiem extergit, ac siccat. Odore saporeque calefaciens et exsiccans secundo ordine deprehenditur. Nascitur in frigidis, quale est oppidum *Tototepeci*, quibusvis sive montosis, sive campestribus locis.

CAPUT CLIV.

De AYACACHTOMATL, *seu crotali Tomatl.*

Solani seu *Tomatl* species est AYACACHTOMATL, fructum ferens ponticis nucibus ferè parem, fulvo semine refertum, ac pentangulis vesicis, quae nucum juglandium aequant magnitudinem, inclusum. Calorem dicitur exstinguere, ac tumores praeter naturam repellere, praecipuè si e calidis oriantur humoribus. Acido sapore constat et frigida natu-

ra, quali et aliarum congenerum plantarum fructus magna ex parte praediti esse solent. Nascitur in calidis et campestribus locis.

CAPUT CLV.

De AYACACHQUAHUITL.

Radicem fundit AYACACHQUAHUITL prolixam, et fibratam, candentemque, caulem similem *Tetzalpatli*, ampla ac sinuosa folia et vitigineis similia, floresque candentes, ac modicos. Lac ejus vulneribus auxiliatur. Odora planta est, adstringens et moderati caloris. Provenit in calidis *Johualani* montanis saxosisque locis.

CAPUT CLVI.

De ACHICHILACACHTIC *Oapanensi, seu herba Lenticulae aquaticae simili.*

Radice capillata firmatur ACHICHILACACHTIC, unde profert stipites ulnam ferè longos, sarmentosos, tenues, et quadratos, folia Ocymi minimè serrata, e singulis nodis per intervalla bina plurave prodeuntia, flores ex albo purpurascentes et modicos, contentos vasculis, et ex eisdem geniculis pullulantes. Calorem nonnullum praesefert, et paululum odoris. Trita ac pannis admota medetur eis, extersione et cicatricis inductione. Provenit in calidis juxta rivulos.

CAPUT CLVII.

De altera ACHICHILACACHTIC.

Etsi Lenticulam aquae nostram ita quoque Mexicenses nuncupent, eodem tamen nomine significare solent herbam in calidis, adeoque *Quauhnahuacensi* regione nascentem juxta loca palustria, sesquicubitum longam, salignis foliis, caule tereti purpureoque, cui adhaerent tori, cirrhive coccinei, vitioque ac morbo ipsius plantae similes, floribus ex luteo purpurascentibus, ac radicibus fibris paribus. Caulis in farinam redactus ac impositus ulcera curat, qui acido sapore constat, frigidaque et adstringenti temperie.

CAPUT CLVIII.

De ACHICHILACACHTIC *tertia.*

Radici insistit ACHICHILACACHTIC *tertia* surculosae, unde prodeunt caules rubescentes, et in eis folia Ocymi circinata, flores lutei, fructus contusus Lenticulae aquae similis, racematim dependens, unde nomen. Is cum panditur, quatuor ostendit semicirculos sese omni ex parte penetrantes, semenque fuscum, mucronatum tectumque tunica candenti. Radix redacta in pulverem atque instillata naribus dolorem capitis tollit evocatis humoribus afficientibus cerebrum, atque expurgatis. Eadem radix semidrachmae pon-

dere devorata vomitu excitato humores omnes purgare dicitur, nec aliam noxam inducere, quàm gutturis nonnullum ardorem: calida siquidem est siccaque tertio gradu natura.

CAPUT CLIX.

De QUAUHAYACACHTLI, seu ligneis crotalis.

Radici insistit fibratae, et ex ea fundit caules hirsutos, striatos, flores modicos et pallentes, folia Solani, hispida, et tenuia vascula, cicerum vasculis similia, sed majora, inclusa vesicis magnis pentagonis, intraque, ubi maturuit, crepitat semen. Amara est, glutinosa et calida natura, et admovetur tumoribus praeter naturam discutiendis magna cum utilitate. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci*, et *Hoaxtepecensibus*.

CAPUT CLX.

De MOYOAYACACHTLI prima, seu culicum sonali.

Caules profert hirsutos ac teretes, utraque ex parte pennatos, et in eis folia rara, exilia, longa, angusta hirsutaque, florem luteum, et in vasis oblongis obtusisque semen nigrum. Floris tantùm est usus; ideoque depingendam non curavi. Nascitur *Tepoztlanicis* montibus.

CAPUT CLXI.

De MOYOAYACACHTLI *secunda, seu sonali culicis.*

Frutex est magnus MOYOAYACACHTLI, ramis cavis constans, Acantho similibus, foliis Ocymi, fructu oblongae vesicae figura, hexangulo, intra quem alia vesica latet orbicularis, nucis ponticae magnitudine, natura glutinosa, plena nigro et contuso semine. Calidis regionibus nascitur in ripis, adeoque in ipsis fluminibus, ac Septembri mense floret.

CAPUT CLXII.

De MOYOAYACÁCHTLI *tertia.*

Radici insistit surculosae, unde profert caules purpureos, tenues, rotundos, sed in quadratam formam nonnihil inclinantes, cavos ac laeves, et in eis folia Ocymi serrata, flores coccineos, parvos, quadamtenus radiatos in stellarum formam. Frigida, et humida natura constat salivosaque. Succus ejus medetur oculis inflammatione tentatis, si instilletur eis : epotus verò punctis, admista praecipuè *Hoitzitzilxochitl.* Sunt qui dicant febrientibus sudorem evocare, sive id contingat sedata febre, et roboratis ita viribus, sive ob nonnullum, quem videtur calorem participare. Sunt qui vocent *Quauhtecematon* seu *caput ligneum*, nec desunt qui *Xiuhyopitzahoac.* Nascitur in calidis et temperatis re-

gionibus, ac nominatim *Hoaxtepeci*, *Malinalci*, et *Mexici* inter sata. Congener videtur huic illa, quam *Moyoxochitl* vocant, etsi foliorum intervenia rectè procurrant, radices sint capillis similes, necnon et flosculi, qui oblongis vasculis continentur. Adstringit haec, dysentericis est utilis, et a nonnullis vocatur *Tlaelli*. Provenit *Atzcapotzalci*.

CAPUT CLXIII.

De AXOPATLI, seu Pinu medica.

Folia profert herbula haec e radicibus fibratis et candentibus, longiuscula et angusta, et Lini non valde dissimilia, flores verò *Teccisxochitl*. Tusa ac admota dolorem capitis tollit. Nascitur *Tototepeci*, aliisque temperatis aut paulò frigidioribus regionibus. Traxit autem a Pinu nomen.

CAPUT CLXIV.

De AHUACAPATLI Tilancensi.

Frutex est radicibus insistens surculosis et lignosis, ex quibus profert stipites quatuor dodrantes longos, et in eis folia Origani, flores candentes et parvos, ac semen orbiculare, modicumque. Radix est amara, calidaque et sicca ordine tertio; semiuncia radicum et foliorum conversa in farinam tres continuos dies matutino devorata ex aqua in-

flationibus medetur. Nascitur frigidis quibusque locis *Tilancensibus Mistecae* superioris.

CAPUT CLXV.

De AXIXCOZAHUILIZPATLI *Tilancensi.*

Frutex est montium, colliumve regionum frigidarum alumnus, Ilici similis; verùm octo dodrantes vix excedens altitudine, juglandes ferens parvas et rubras, spinosisque et iligneis ornatus foliis, et floribus, ut ferunt, Jasmini. Radix est amara pallidaque, cujus in frustula dissectae decocti jus oculis et renum morbis, quorum gratia lotium reddi solet cruentum, pallidave pelluntur excrementa, mirè dicitur conferre. Nascitur in frigidis jugis regionis *Tilancensis*, et in calidis *Panuci*, ubi *Olcacatzan* vocatur, tingitque luteo colore eam, in qua maceratur, aquam.

CAPUT CLXVI.

De ANONYMA *Mechoacanensi.*

Radicibus insistit fibratis et fuscis, et ex eis caules pallescentes, ornatos foliis Salviae, longis, angustis et serratis, supernè viridibus, et infernè Salviae more subalbescentibus; cujus vires sunt Absinthii nostratis, et genus latifoliae *Yztauhyatl.*

CAPUT CLXVII.

De ATONAHUIZPATLI *Ygualapae.*

Herba est radici insistens fibratae, unde edit caules geniculatos, rotundos, lentos: et in eis saligna folia, lineis exilibus multis secundùm longitudinem procedentibus distincta, ac flores, ut ferunt, modicos et coccineos. Frigida et humida natura constat, punctis medetur, et calorem semiunciae pondere mitigat trita radix, atque ex aqua bis terve singulis quibusque diebus devorata. Nascitur in locis temperatis saxosisque, aut etiam in arboribus. Videtur verò ad species *Acaxaxan* pertinere, sed folia sunt angustiora et longiora.

CAPUT CLXVIII.

De ARBORE, *cujus cor Gingiber olet.*

Arbor est procera, foliis utrinque subalbidis, longis et angustis, et Mali Medicae folia forma referentibus, sed salignis duplo latioribus: cor ligni olet sapitque Gingiber, calidaque et sicca ordinis quarti videtur constare natura. Nascitur juxta litora maris australis non longè a *Tototepec Tecuanapae*, cujus neque nomen, neque facultatem aliam accepi, sed tantùm casu deprehensam, cum secaretur a quodam piscatore ad cymbam fabricandam.

CAPUT CLXIX.

De ARBORE *a quibusdam Sasafras vocata.*

Arbor est magna, folia ferens crenata, et in tres partes divisa, stipites laeves, subrubeos et Anisum olentes. Calida constat, et sicca natura ordine circiter tertio et subtilibus partibus; colicis iliacisque opitulatur, necnon difficultati urinae renumque morbis, dum tamen a causa frigida contingat, flatum discutit et obstructiones aperit. Nascitur in provincia Florida, et, ut audio, *Mechoacanensi.*

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER TERTIUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De ATLIPOZONZAPITZAHOAC, *seu spuma aquae tenuifolia.*

Consuevere Mexicani vocare herbas omnes (exceptis tamen paucis, quibus diversa nomina imponunt) quae eo quòd capillatis insistunt radicibus, capillares vocantur a nostris, *Ocopetlatl*, *Pinive tapetum*: quales sunt *Adiantum*, *Phyllidis*, *Filix*, *Polypodium*, et similes, quarum omnium paene innumera in hac Nova Hispania offenduntur genera, eisdem, quibus nostratia, viribus. Multa describenda curavimus atque depingenda, alia omisimus, quoniam etsi forma distent, facultatibus similia sunt: inter quae sese

offert omnium prior ATLIPOZONZAPITZAHOAC, ita vocata, quoniam humectis et aquosis locis nascatur, radicibus innixa capillatis, e quibus prodeunt caules virides, tenuesque, referti Coriani, Apiive hortensis foliis, ni mavis illis Dryopteris potiùs esse similia. Filicis videtur species. Frigida, siccaque constat temperie. Valet adversùs cordis aestum, syncopem, angustiam, ac febres. Provenit calidis frigidisve promiscuè regionibus, locis udis atque irriguis, caudices scopulosve, aut umbrosa loca amplexa.

CAPUT II.

De ATLIPOZONZAPATLAHOAC, seu spuma aquae latiore.

Species et haec est Filicis, viribus, reliquaque natura haud absimilis praecedenti, foliis tamen latioribus atque majoribus. Nascitur quoque in cautibus regionum quarumvis aquosis locis, et ad eadem est utilis.

CAPUT III.

De AHOYACPATLI, seu medicina suavi.

AHOYACPATLI, quam alii *Ocopetlatltepiton*, alii *Oapazpatli*, alii verò *Ytzinpechtetl* seu *basim lapideam* vocant, Filicis est species, similis praecedentibus, sed foliis paulò longioribus. Frigida siccaque natura constat, ac gustu nonnihil adstringenti. Appetitum excitat devorata, ventricu-

lum roborat, febres exstinguit, fluxus cohibet, et capitis dolorem admota sedat. Nascitur regionibus calidis ac frigidis, in montium faucibus et aquosis locis, velut apud *Pahuatlanenses.*

CAPUT IV.

De COATLYCEOAL *expurganti, seu umbra anguis.*

Radicibus insistit COATLYCEOAL *expurgans* capillis similibus, unde fundit ramos tenues, teretes, fulvos, atque Adianto similes. Folia parva, orbicularia, rara, terna quaternave, superiori tamen parte parvo quodam sinu fissa ac velut exessa: flore et fructu nullo: nempe Adianti species, etsi radices vi polleant expurgante omnes humores per inferna, sed bilim praecipuè, sex drachmarum mensura devoratae. Nascitur in rupibus saxosisque montuosis et humectis regionum temperatarum locis.

CAPUT V.

De COATLYCEOAL *Pahuatlanensi.*

Dryopteri similis est COATLYCEOAL *Pahuatlanensis*, sed frigida siccaque constans natura, et sapore, odore, flore, ac fructu nullo. Nascitur ubi praecedens solet provenire, atque ad eadem videtur utilis.

CAPUT VI.

De CAPOLXIHUITL.

Radicibus firmatur CAPOLXIHUITL capillis similibus, unde proferuntur caules tenues, et fulvi, pleni foliis oblongis, et serratis, ordine utrinque dispositis, adeoque *Capoli* Cerasove Indico Amygdalove similibus, unde sumsit nomen. Adstringens est sapor, frigida et sicca natura, flos ac fructus nullus, et Polypodii ferè facultas, cujus est fortassis species. Nascitur calidis ac frigidis regionibus, humectis locis juxta saxa. Sunt, qui herbam sui generis esse velint, capillatis tamen annumerandam.

CAPUT VII.

De OCOPETLATL *Quauhtlae.*

Lonchitis aspera minor est OCOPETLATL *Quauhtlae*, radici insistens transversae, fibratae, atque capillatae, ex qua multos profert ramos hirsutos, ac fulvescentes, et in eis folia angusta, et longiuscula, densa, et ordine utrinque disposita, vermiculataque, florem, ac fructum nullum. Vis eadem, quae Polypodio, easdemque regiones, ac loca amat, quamquam testentur de ea praecipuè Indi folia tusa, atque ex aqua devorata vanos timores pellere, moerorem lenire, et syncopi prodesse.

CAPUT VIII.

De ELMOYAHUIZPATLI, *seu nauseae medicina.*

Herba est capillatis firmata radicibus, unde proferuntur caules juxta radicem rubescentes, et in eis folia serrata, quadrataque, et adeo Lonchitis asperae majoris, sed juxta medios duos angulos alata atque sinuosa, et flores ac fructus nulli. Frigida siccaque natura constat, et appetentiam dicitur excitare. Ad capillatarum herbarum species pertinet, ac fortassis nominatim ad Lonchitim asperam majorem. Provenit inter saxa aquosorum humidorumque locorum, qualis est *Hueitlalpa.*

CAPUT IX.

De HUAQUILIZPATLI, *seu extenuatorum medicina.*

Parvula herba est HUAQUILIZPATLI, capillis quibusdam insistens, unde ramulos profert exiles et breves, et in eis folia Ocymi, sed magis acuminata, et interdum purpurea: flores verò, aut fructum in ultimis flagellis virentem, et spicatum. Frigida siccaque constat natura, et propinatur ex aqua devoranda his, qui sensim contabescunt. Sunt qui commisceant ejusdem affectus profligandi gratia *Tchcatlepatli* eodem pondere. Ad Phyllitis species videtur quadantenus pertinere, sed flosculos, ut dictum est, edit spicatos. Nascitur *Tzotzocolci* circa saxa.

CAPUT X.

De YPEPECHTETL, *seu basi lapidea.*

Herba est parva, capillis innixa, unde profert caules tenues, ac rubescentes juxta exortum, et interna parte striatos, folia quina, rhomboidali ferè figura circa singulos stipites, serrataque, et florem, ac fructum nullum. Frigida siccaque natura constat, et in Phyllitis species potest referri, ad quas sententia quidem mea pertinere videtur. Bibitur adversùs febres, syncopen, et alios cordis affectus ex aqua resoluta. Sapore et odore insigni caret. Sunt qui adjungant *Cacalotlynenepilli*, dicantque ad eum modum utiliùs adhiberi. Nascitur *Quauhtepecensi* tractu in montium faucibus humidisque locis.

CAPUT XI.

De YNETENPOPOAYA, *seu oris emunctorio.*

Capillatis innititur radiculis YNETENPOPOAYA, e quibus funduntur pediculi ramive, longi ac tenues, et in singulis folia Phyllitis terna, serrata et oblonga, sine ullo flore aut fructu. Frigida siccaque natura constat, et ad Phyllitis species videtur attinere, eademque auxilia praestare. Nascitur in calidis *Xicotepeci*, quibus ceterae congeneres, locis.

CAPUT XII.

De ITZTICPATLI, *seu frigida medicina.*

Herba est YTZTICPATLI capillis similibus innixa radicibus, ad Filices quoque referenda: caules sunt tenues, teretes, ac juxta exortum fulvi, folia Origani parva, spissa, oblonga et circa caulem ordine utrinque disposita. Flore et fructu caret. Frigidae est siccaeque, ut aliae congeneres, naturae, et succus epotus febres tollit. Nascitur calidis regionibus juxta loca saxosa, humentia, et umbrifera.

CAPUT XIII.

De YMACPAL, *seu Palma.*

Ad Adianti species videtur YMACPAL pertinere. Radicibus enim ei similibus insistit, e quibus mittit caules coccineos, tenues, et in eis folia Adianto aut Coriano proxima. Frigida natura constat, ideoque folia tusa et ex aqua devorata febres exstinguit.

CAPUT XIV.

De XCXITECUANI, *seu pede ferae.*

Radicibus innititur fibris similibus, adeoque Leoninis, ferinisve unguibus, unde sortita est nomen: ex quibus prodeunt sena septenave folia, parvis pediculis appensa, per

terram sparsa, virore exsaturato tincta, mediocris magnitudinis, rotunda ferè, distincta infernè vermiculis quibusdam, fuscis, et flore, caule, fructuque nullo. Frigida siccaque natura constat, et ad Phyllitis pertinet genera. Folia tusa pugilli unius mensura propinantur ex aqua adversùs nimium calorem, dolorem totius corporis, ac syncopen orientem ex bilis redundantia ad ventriculum defluente. Nascitur *Pahuatlani*, saxosis montosisque locis, calentibusque aliis regionibus.

CAPUT XV.

De YZHOAYO, *seu foliosa medicina.*

Phylliti valde similis est universa forma, et natura YZHOAYO, quam nonnulli *Tohualpatli*, alii verò *Tocpatli* seu *Maizii medicinam* vocant : sed non eadem; folia enim ejus sensim in radices usque extenuantur, quod nostrati non evenit. Est ergo ei congener, frigidaque et sicca natura, ac nonnihil adstringenti. Febres exstinguit, fluxum alvi cohibet, ac ceteros, qui Phylliti congruunt, praestat usus, et in similibus regionibus, et locis gaudet nasci.

CAPUT XVI.

De YOHUAYANPATLI, *seu nocturna medicina.*

Herbula est YOHUAYANPATLI tenuibus innixa capillis, unde prodeunt folia Ocymi, parva tamen, et in acumen

longiusculum desinentia, appensa pediculis. Est et haec Phyllitis species, caule, flore, et fructu vacans, humectis saxosisque proveniens collium locis. Frigida et sicca natura, saporis et odoris expers, ac febres hausta finiens. Nascitur *Hueitlalpae.*

CAPUT XVII.

De TECAPATLI, *seu medicina juxta aquarum defluxiones nascente.*

Phyllitis et haec (quam alii *Tmacpalyohuayan* vocant) species quaedam est, peregrina atque spectabili forma, cujus radix fulva conspicitur et capillata, caules rubei, tenues, folia verò fulvis infernè punctis conspersa, tribus cuspidibus ac sinubus binis insignia. Flore, caule et fructu caret. Folia resoluta ex aqua potantur adversùs flatum, et ad leniendum dolorem ventris ortum à calore; frigida enim siccaque et adstringenti natura, ut ceterae congeneres, praedita est, ac febres lenit. Nascitur, quibus aliae hujus generis, locis, velut *Papaloticpaci.*

CAPUT XVIII.

De OCOPETLATL *Atataccensi.*

Tendenti ab *Ocopetlayuca* in *Atataccum* juxta aethnae radices occurrit genus quoddam Filicis, à quibusdam OCOPETATL, ab aliis verò *Hoeiocopetlat* vocatum ab ejus magni-

tudine; fruticosus enim est, et in arbusculae formam, assurgens. Folia fert Origani, minimè serrata, in acumen desinentia, et caulem ex utraque parte ordine stipantia, florem ac fructum in spicas praelongas compositum, atque inter ramulos hinc et inde exorientem. Eadem natura, natalis locus, et usus, qui ceteris.

CAPUT XIX.

De OCOPETLATL *Hoaxtepecensi.*

Offendi apud *Hoaxtepecenses* genus quoddam Adianti, eisdem, quibus nostras, viribus, sed forma nonnihil distans; producit enim ex caulibus, qui eduntur a radicibus, ex utraque parte ramulos ordine dispositos, foliisque refertos Adianti, quod in studiosorum gratiam depingendum curavi, seu idem sit nostro, caeli solique tantùm ubertate differens, quod ego verum esse puto, seu nostrati congener.

CAPUT XX.

De OCOPETLATL *peregrina.*

Est et alterum Filicis genus OCOPETLATL vocatum, multas ac tenues radices promens, et ex eis caulem flavum, ac teretem, altera tamen ex parte canaliculatum, Filicis folia, sed valde exilia. Frigida et sicca constat natura, febres exstinguit, et fluxus compescit. Gaudet gelidis et aquosis locis.

CAPUT XXI.

De altera OCOPETLATL *peregrina.*

Filicis est species, nostratibus admodum similis, *altera* OCOPETLATL *peregrina*, quam alii *Xiuhpetlatl* nuncupant, non solùm forma et natalibus, verùm temperie, facultate, et reliqua natura. Ideo nihil ampliùs addendum censui, quod ad hujus plantae pertineat elucidationem, praeterquam frigida lubricaque constare natura, et oculis esse conferentissimum ejus succum.

CAPUT XXII.

De tertia OCOPETLATL *peregrina.*

Est et alia Filicis species, sed foliis latioribus, sinubusque profundioribus, longioribusque segmentis divisis, cetera similis; quamobrem de ea nihil ampliùs dicendum putavi, praeterquam *Pahuatlanenses*, apud quos nascitur, *Ocopetlatlyztic*, ut eam a ceteris distinguant, nuncupare.

CAPUT XXIII.

De OCOPETLATLYATLAHUAC, *seu latifolia.*

OCOPETLATLYATLAHUAC, quam alii *Coapatli* vocant, Polypodii est species. Frigidam esse ajunt (ac talis gustata deprehenditur) calorem exstinguere, et inflammationum re-

pellendarum gratia admoveri, oculis inflammatione tentatis esse praesidio, opitulari ustionibus, ac plagis recentibus conferre. Differt autem quamplurimùm a nostratibus, quoniam folia longè latiora sunt, et circa extrema minimè tendentia in acumen, sed rudi quodam modo fissa.

CAPUT XXIV.

De OCOPETLATLQUALONI, *seu eduli.*

Herba est radicem fundens fibratam, et statim ab ea folia crassa, brevia, rubescentia ex candido, ac *Metl* brachiis quadamtenus similia, caules sex dodrantes longos, striatos internè, tenuesque: et in eis folia exigua, similia legumini, et foliorum Filicis in modum quadamtenus composita. Flore et fructu caret. Crassiora folia, quae brachiis *Metl* dixi quadamtenus esse similia, apta sunt cibis, et adstringenti sapore. Eadem per annonae caritatem pari *Tlaolli Maiziive* potioni permista frumenti subeunt vices, unde nomen. Ceterùm ad Filices erit fortassis haec planta referenda, nam praeter formam vires etiam videntur esse similes. Provenit in frigidis *Quauhchinanci.*

CAPUT XXV.

De OCOPETLATLYATLAHUAC *altera.*

Altera Phyllitis est *Ynetempopoayae* similis, verùm mi-

nimè trifolia, sed multifolia, etsi circa extremos ramos terna quoque prodire, velut illi, videantur. Vis est eadem, atque etiam locus natalis, verùm admirari subit hac in parte omnipotentiam summi ac aeterni Dei, qui tot unius plantae differentias ediderit atque creaverit, cum tamen vis una sit, unumque genus.

CAPUT XXVI.

De POYOMATLI.

Filicis quoque species est POYOMATLI, sed foliis oblongis et serratis, altera parte viridibus, et altera rubescentibus: radicibus verò fibratis et tuberosis. Eadem vis, quae aliis. Est et altera radix eodem nomine, qua Indi sibi persuasere revelari occulta venturaque, non vulgari seducti insania, sed de hac suo loco dicemus.

CAPUT XXVII.

De QUIMICHPATLI, *seu muris medicina.*

Herba est radice firmata crassa, fibrataque, ex qua nullum caulem aut florem emittit, sed longos quosdam pediculos, quibus appendent folia magna et acuminata, et cordis figuram Oxalidisve aut Ari referentia, sed alata. Calefacta radix admotaque dolorem dentium tollit. Nascitur in calidis et umbrosis locis.

CAPUT XXVIII.

De QUAUHACXOYATL, *seu Acxoyatl sylvestri.*

Lonchitis asperae videtur species. Radix est transversa, hirsuta et argentei coloris, unde prodeunt caules fulvi, recti, tenuesque, ornati foliis utrinque longis, angustis, infernè candidis maculis distinctis, supernè verò lentigine candenti. Acris est radix, calidaque, et sicca ordine tertio, et cujusdam particeps amaritudinis. Quamobrem posset aliquis herbam esse sui generis arbitrari. Vocatur verò *Quauhacxoyatl* ob similitudinem foliorum cum illis, quibus Pinus virere solent.

CAPUT XXIX.

De TLALQUEQUETZAL *Atataccensi.*

Herbula est TLALQUEQUETZAL seu *crista humilis*, radice firmata transversa, capillataque, et Polypodio simili, unde profert folia longa et angusta, infernè squallentia et obducta lanugine. Vis est frigida et sicca, et ad Phyllitis differentias videtur attinere, ni herbam sui generis esse quivis potiùs contendat. Nascitur *Atatacci* frigidis ac montosis locis, non procul ab aethna.

CAPUT XXX.

De TEQUEQUETZAL, *seu crista lapidea.*

Species est Filicis TEQUEQUETZAL, capillaceis radicibus, caulibus fulvis, ac foliis Filicis, sed impensè exilibus, unde quidam *Sepitotontequequetzal* vocant. Vis est eadem, nec dissimilis natalis locus.

CAPUT XXXI.

De altera TEQUEQUETZAL.

Herba videtur *altera* TEQUEQUETZAL, quam alii *Petz-patli* vocant, ad Adianti differentias referenda. Radices sunt capillis similes, cauliculi rubri, folia parva, serrata, obrotunda, utrinque caulem serie quadam stipantia, et Adianto similia, altera facie viridia, altera verò minii colore. Flore, fructu et caule caret, quemadmodum capillaceis herbis solet accidere. Frigida et adstringenti natura viget, vulnera cicatrice trita atque inspersa obducit, in aquam mersis ac paene suffocatis ingesta confert, et febrilem calorem lenit. Nascitur in saxis, truncis arborum, umbrosis, tabulatis, humidisque locis *Copitlani.*

CAPUT XXXII.

De tertia TEQUEQUETZAL.

Radicibus firmatur capillaceis, unde prodeunt pediculi fulvi ac dodrantem longi, quibus appendent folia serrata, et in tres portiones in acumen desinentes divisa. Caule, flore et fructu caret. Species est Phyllitis, etsi videatur forma differre, nam eadem est quoque natura. Nascitur frigidis ac ferventibus locis, humentibus tamen umbriferisque.

CAPUT XXXIII.

De TLATLACATON, *seu parva persona.*

Lonchitis asperae majoris videtur species, aut eadem, sed natali loco distans, satis spectanda atque peregrina, radicibus capillaceis, unde proferuntur caules rubri, tenues, teretes, nitidi, et per terram sparsi, stipati utrinque foliolis alis vespertilionum similibus. Eadem est illi, quae ceteris congeneribus, temperatura, et eisdem etiam natalibus gaudet. Sunt qui *Ocopetlatl Tacapichtlensem* vocent, quoniam ibi provenire soleat.

CAPUT XXXIV.

De TECUANIXZTE, *seu ungue ferae.*

Herbula est caules fundens tenues, teretes et rubescen-

tes e radicibus capillatis: et in eis folia obrotunda, circinata et quadamtenus Adianto, cujus fortassis species est, similia. Frigefacit, exsiccat et adstringit, soletque dysentericas fluxiones cohibere. Nascitur in saxosis *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT XXXV.

De TECUANIIMA.

Herba est TECUANIIMA seu *manus ferae* ob similitudinem foliorum vocata, capillorum instar firmata radicibus, e quibus profert caules fulvos, tenues, teretes, et breves, quorum singulis terna folia appendent oblonga, serrata, ac ferè sinuosa: flore et fructu caret, velut ceterae ferè congeneres, frigidaque eodem modo constat natura. Herba videtur sui generis, nisi ad Phyllitis differentias malit illam aliquis referre. Folia tusa, et pugilli mensura devorata, febres dicuntur exstinguere. Innascitur saxis, juxta montium fauces, et arborum humentes truncos.

CAPUT XXXVI.

De TECUANIYPOPOL, *seu pilis ferae.*

Transversa TECUANIYPOPOL firmatur radice, atque capillata, unde profert caules ornatos utrinque foliis Dryopteri similibus. Placat febres devorata, humectisque et umbrosis regionum calidarum montibus emicat.

CAPUT XXXVII.

De TECUANIYNACAZ, *seu ferae auricula.*

Herbula est TECUANIYNACAZ radicibus insistens capillis perquam similibus, unde profert pediculos fulvos, teretes, tenues et breves, et in eorum singulis unicum folium mediocris magnitudinis, serratum, sinuosumque, et in tres obrotundas portiones fissum, floremque, et fructum, caulemve nullum. Eisdem, quibus praecedens, viribus pollet, ad idem herbarum genus spectat, similibusque locis nasci amat.

CAPUT XXXVIII.

De YMACPALTECUANI *Pahuatlanensi.*

Herba est YMACPALTECUANI *Pahuatlanensis*, capillis quoque radicibus firmata, e quibus fundit pediculos longos et fulvos, sed in nigrum vergentes colorem, et in summa eorum parte folia sinuosa, manui ferae similia, unde sumsit nomen, vitigineisve: caule, flore et fructu caret, et in Phyllitis genera refertur. Frigida et sicca constat natura, atque ideo folia resoluta ex aqua, haustaque febres exstinguunt, et corporis dolores e distemperie calida ortos sedant. Nascitur in humectis ac calidis. Est et alia herba eodem nomine, viribus et forma, sed foliis Pentaphylli,

de qua nihil habui quod adderem, praeterquam ad Diapensiae figuram et vires plurimùm accedere, viderique ad Pentaphylli genus referendam.

CAPUT XXXIX.

De TANCAPAZ, *seu Filice.*

Filicis est TANCAPAZ species, sed exilibus serratisque foliis, et altera parte subalbidis, et quibusdam fulvis punctis distinctis. Natura atque natalis idem, qui reliquis congeneribus. Est et *Cecentancapaz* Filicis alterum genus, cujus folia ex utraque parte caulis minimè respondent: cetera similis.

CAPUT XL.

De YTLANEXILLO, *seu Dasypodis crure.*

Radicibus insistit YTLANEXILLO, quam alii *Teatlapalli* seu *alam petrae* vocant, similibus capillis, e quibus edit stipites purpurascentes, teretes ac tenues, et in eis folia parva, cordis figura: florem ac fructum nullum. Frigida et sicca natura, adstringentique folia pollent, sapore dulci, et viribus dysenterias coërcentibus. Radix frigida quoque, sicca ac dulcis est, sed minimè adstringens; additurque *Octli* sive *vino Maguei*, quod *Pulque* vocant, ut vehementiam illi conciliet, vimque feriendo capiti majorem. Sunt qui in species Adianti referant. Provenit in calidis *Xicotepecensibus.*

CAPUT XLI.

De ACUEYO, *seu Herba bullata.*

Caules profert ACUEYO foeniculaceos, quatuor cubitos, magna ex parte longos, virore interdum diluto, interdum verò exsaturatiore tinctos, pollicem crassos ac per intervalla geniculis interceptos, folia Ari mollia minoraque, ac fibratam radicem. Calida siccaque ordine ferè tertio viget natura, et subtilibus partibus. Jus decocti foliorum infusum aut epotum flatum, aut ab eo excitatos dolores lenit, pellit frigus, obstructiones reserat, viscera infrigidata calefacit, evocat urinam, renes ac vesicam emundat, expurgat uterum, venerem inhibet, ac trahit menses, lentos crudosque humores attenuat ac coquit, sudorem elicit, et corpus universum reddit perspirabile. Caules condiuntur, ac in eosdem usus in annos servantur. Crudi quoque edules sunt, gratoque odore et sapore. Provenit calidis regionibus juxta aquarum rivos, qualis est *Quauhtepecensis*. Haec est fortassis eadem cum ea, quae scripta est *Libr. I. cap. CXXIX. p.* 70. et *Libr. IX. cap. de* HOEIXOCHCTL.

CAPUT XLII.

De AOCOXOCHITL, *seu flore Pinus aquae.*

AOCOXOCHITL, quam alii *Ocoxochitl* vocant, herbula est per terram repens, radicibus innixa capillis similibus, unde

profert cauliculos tenues ac longiusculos, refertos foliis Myosotae, Lotum urbanam redolentibus, geminis granis parvis à foliorum exortu prodeuntibus, primò viridibus, et tandem coccineis. Succus ejus succo *Cempoalxochitl* permistus febrium frigora seu illitus, seu bibitus tollit: herba ipsa tusa, atque applicata tumores praeter naturam aut discutit, aut maturat et rumpit: sumta verò ex aqua scorpionum morsibus, uterinis affectibus atque destillationibus auxiliatur. Liquor ignis opera ab eadem planta stillans odorus est, dysentericis opitulatur, conspergendisque vestibus, et a tineis vindicandis, et suavi illis conciliando odori est perutilis: vapor verò exhalans illum coronariae Libanotidis videtur imitari. Nascitur regionibus temperatis calidisque, quales sunt *Mexicensis*, ac *Tyauhtepecensis*, juxta aquarum defluxiones, et loca humentia.

CAPUT XLIII.

De *TLALOCOXOCHITL.*

Herbula est TLALOCOXOCHITL, seu *Ocoxochitl terrestris, primae Ocoxochitl* forma similis, sed paulò latioribus et brevioribus foliis, et facultate diversa: frigidam enim naturam sortita est, humidamque, odorem nullum, et vim repellendis inflammationibus exstinguendisque ardoribus utilem. Eisdem, quibus praecedens, natalibus gaudet.

CAPUT XLIV.

De TLALOCOXOCHITL *altera.*

Radices agit TLALOCOXOCHITL *altera* longas et tenues, extra croceas, intus pallidas, e quibus multi prodeunt caules, tenues, virides, prolixi, geniculati, quadrati, et per terram repentes, referti foliis *prioris* ferè *Ocoxochitl*, unde nomen, aut rutaceis, paulò tamen majoribus, ac per intervalla quaternis, utraque ex parte caulis binis: flores albi parvulique. Videtur spectare ad species Polygoni, quas *Tianquizpepetla* universim Mexicenses vocant. Frigida siccaque constat natura, ac similes temperiei praestat effectus. Nascitur in frigidis ac montosis locis.

CAPUT XLV.

De TLALOCOXOCHITL *Tetzcoquensi.*

Radicibus innititur TLALOCOXOCHITL *Tetzcoquensis* fibris similibus, unde profert caules exiles, repentes per terram, et in eis folia bina per intervalla Rutae, aut *Ocoxochitl*, unde nomen: flores in extremis ramulis coccineos et modicos. Adstringit eadem exsiccatque non sine quadam vi caloris. Tollit dolores, ac stupentium membrorum ob frigus sensum excitat, sed praecipuè crurium et brachiorum. Nascitur temperatis locis, quales sunt *Tetzcoquenses.*

CAPUT XLVI.

De TLALOCOXOCHIPATLI, *seu medicina Tlalocoxochtil.*

TLALOCOXOCHIPATLI, quam alii *Elchiquiuhpatli* seu *pectoris medicinam* vocant, radici insistit Raphani, fibratae, unde profert caules tenues, refertos foliis Lini longis et angustis: flores in supremis caulibus oblongos, vasculis contentos, extra candidos et intra purpureos. Vis est calens, siccaque, et pectoris amica. Nascitur temperatis regionibus, qualis est *Tetzcoquensis.*

CAPUT XLVII.

De TEOCOXOCHITL.

Radicibus insistit parvis, et exilibus TEOCOXOCHITL, quam alii *Ocoxochitic* appellant, unde prodit cauliculus tenuis contortusque, et in eo folia Lini, per intervalla bina, angusta, longiuscula, incurva, et falcata: semen verò rotundum, et exile utrinque per singulos foliorum exortus. Frigida est et valde lubrica, erysipelatisque expertum est impensè opitulari. *Quauhquechulae* provenit et *Hoaxtepeci.*

CAPUT XLVIII.

De OCOPIAZTLI, *seu Pinu longa.*

Radicem fundit OCOPIAZTLI, quam alii *Tolopatli* seu

cordis medicinam vocant, crassiusculam, et fuscis fibris refertam, folia arundinacea, crassiora, et angustiora, juxta radicem rubra, et florem *Omixochitl.* Frigida et humida natura constat. Quaevis plantae pars trita, ac bibita ex aqua unciae unius mensura febrem tollit. Nascitur locis temperatis.

CAPUT XLIX.

De OCOPIAZTLI *altera.*

OCOPIAZTLI *altera*, quam alii *Hoitzcolotli* seu *Scorpii spinam* vocant, herba est spinifera, radici obrotundae, et fibratae insistens, unde profert folia spinis horrentia, praelonga et angusta, caules longos, teretes, ac laeves; quorum supremis partibus haerent capitula spinis horrida, illis Dipsaci haud dissimilia, ac flosculis contecta purpureis. Radix Siser sapore quodam dulci, atque odoro videtur imitari, calentique secundo ordine, et exsiccante praestare natura. Liquor, ubi aliquandiu maduerit, jusve decocti propinari solet ab Indis Medicis his, qui jam paene a febre convaluerint, ut reliquiis humorum febrem causantium per urinam, aut sudorem evocatis prorsus ab aegritudine liberentur. Quin articulari morbo laborantes eadem ratione juvat, in aliosque hujusmodi usus magna cum utilitate solet adhiberi. Provenit *Tenayucae* montanis humidisque locis.

CAPUT L.

De CHICHICAHOAZTON, *seu herba amara serratorum foliorum.*

CHICHICAHOAZTON, quam alii *Chichicaohaztic*, alii *Cohayelli* seu *anguem foetentem*, alii *Tlilpoton* seu *nigram et foetentem plantam* vocant, spina est fibratis innixa radicibus, e quibus profert folia Cirsii longa, et angusta, serrata, et spinosa, unde nomen: caules rotundos, cavos, purpurascentes, et in eorum cacuminibus capitula spinifera et obrotunda. Calida ordine quarto natura est, ac Siseris sapore, quamvis odore et acri. Radix trita, ac devorata pondere drachmarum trium ex aquae unciis decem ventriculi imbecillem calorem roborat. Dolores ventris ac ceterorum membrorum, e frigida causa ortos, sedat, flatus discutit, colicae et iliacae confert, urinam et menses evocat, satietati medetur, venerem stimulat, ventriculum impensè frigescentem confirmat et fovet, ac morsibus serpentium venenatorum medetur: quae omnia efficaciùs praestat, si ex vino liquoreve alio calenti, et roborante offeratur. Quin tumores praeter naturam admota dissipat, humores articulis infarctos attenuat, ac discutit, et cuivi frigidae medetur intemperiei. Provenit temperatis ac montosis locis, quales sunt *Quauhtepecenses.*

CAPUT LI.

De OCOPIPIN, *seu planta resinam stillante.*

Herba est OCOPIPIN, quam alii *Copito*, alii *Coentli*, et alii *Ocopichin* vocant, radicibus Asphodelo, aut Filipendulae similibus firmata quaternis quinisve, resinam olentibus, unde nomen, e quibus fundit caules tres spithamas longos, geniculatos, et purpureos: folia crenata, longa, angusta, ac sinuosa: flores rotundos, et coccineos. Succus radicis odorus, ac glutinosus est, acris, amarus, et sapiens resinam. Folia Raphani foliis sapore, et odore similia, et eisdem paene viribus. Calida, atque exsiccans est ordine tertio natura, reseransque, et tenuium partium. Pulvis radicum resinae additus frigus undecumque pellit, dolores mitigat, ac flatum per se, aut mistus *Tlaltecomaxochitl* discutit, pediculos necat, tenuat humores, ac pectori, et utero confert, pituitam purgat a ventriculo, citato vomitu, pulvis duarum drachmarum pondere, menstrua evocat, aliaque praestat auxilia, quae ex hujusmodi temperie oriri consueverunt.

CAPUT LII.

De generibus OCOTL, *seu Pinus, quae in hac Nova Hispania offenduntur.*

Proveniunt apud novos Hispanos in locis frigidioribus

non pauca peregrinarum Pinorum genera, quorum nonnulla picta exhibemus. Ex his quaedam sunt adeo brevia, ut unum vix aequent dodrantem, lepris curandis, ut Indi Medici affirmant, valde opportuna: *Teocotl* a quibusdam vocata, sterilia, nec ferentia fructum. Alia vulgaris magnitudinis, sed pineas nuces ferentia, mirum in modum prolixas, non plurimùm tamen crassas, sed quales pictas exhibemus. Sunt alia, quorum pineae in mirandam amplitudinem adolescant, et demum aliis incredibili innascuntur parvitate. Non desunt, quae strobilos triangulares, et rubescentes, parvulosque ferant, sed quo ceteri, sapore, aut quibus inanis sit fructus; nec est in nostro orbe genus ullum, quod in hac regione non sit reperire: verùm exsequi omnia immensi paene esset laboris et operae, ac fortassis non adeo utilis aut necessariae.

CAPUT LIII.

De OCOQUILITL, *seu olere resinam resipiente.*

Herba est OCOQUILITL, quam *Ocopetlayucenses Chichicaquilitl* seu *amarum olus* vocant, radice innixa fibrata atque purpurea, unde profert folia serrata, sinuosaque, Soncho similia, et cyaneos flores. Edulis est, sapore Pastinacae resinoso, calidaque et sicca ordine tertio temperie. Succus ejus medetur ictibus *neparum.* Nascitur in locis temperatis aut frigidis, quale est *Tetzcocum*, et *Ata-*

taccum, possetque in species Sonchi referri, ni odora esset, et quo ordine diximus, calentis naturae.

CAPUT LIV.

De OCOLINTEQUITCUA.

Ocolintequitcua herba est fibris quibusdam firmata, unde prodit caulis binas spithamas longus, et in eo Mali Medicae folia, et flores albi modici. Folia semipugilli mensura tusa, atque ex aqua devorata lumbricos interficiunt, ac pellunt peculiari et occulta, ut par est, vi, quando insigni sapore caret, et ad temperiem aut paululum frigoris inclinat. Provenit *Tzatzocolci* humilibus editisque locis, sed aquosis et humidis.

CAPUT LV.

De OCOQUILTIC, *seu herba resinosa.*

Herba est Ocoquiltic radici insistens Raphani, unde profert caules contortos: et in eis folia Ocymi, majora tamen, et minimè serrata, altera parte albidiora. Vis est calida siccaque, et sapor resinosus. Nascitur apud *Tetzcoquenses.*

CAPUT LVI.

De TONALOCOTL, *seu Pinu Solis.*

Foliis constat Tonalocotl *Quauhmochil*, obrotundis, coccineis floribus, candidisque, et modicis. Sapore et odore in-

signi caret, frigidaque, sicca, et adstringenti gaudet natura. Flos arboris hujus resolutus ex aqua et illitus corpori febrium impetus tollit. Provenit *Mayanalani* planis atque editis locis.

CAPUT LVII.

De XOCHIOCOTZOQUAHUITL, *seu arbore Liquidambaris Indici.*

Arbor est magna, Aceris ferè foliis, in tres cuspides, duosque sinus divisis, altera parte albicantibus, altera verò obscurioribus, serratisque, et fructu erinaceo simili. Calida siccaque natura constat, et odore jucundo. Inciso arboris hujus cortice, qui partim fulvus, partim virens est, Indicum fluit vocatum *Liquidambarum* ab indigenis Hispanis, a Mexicensibus verò *Xochiocotzotl*, suavitate odoris Styraci persimile, calenti ordine tertio exsiccantique natura; quod additum tabacis caput, ventriculum et cor firmat, somnum inducit, capitis dolorem ex frigida causa ortum lenit: per se verò humores discutit, sedat dolores, ac impetiginibus cute digitis convulsa medetur. Stillat ab eadem arbore, aut sponte sua, aut incisa oleum, haud cedens praedicto liquori aut odoris jucunditate, aut medicis usibus. Discutit utrumque flatum, ac praeter naturam tumores dissipat, coctionem procurat, ventriculum roborat, uterinis affectibus confert, et alia his similia praestat juvamenta, seu per se, seu aliis medicamentis permistum. Sunt qui elixis

ex aqua stipitibus id odoramenti parent genus, sed vilius ita est, ac minùs ad praedicta praesidia expetibile. Provenit campestribus calidisque locis, et interdum etiam temperatis, velut *Hoeyacocotlae*, *Quauhchinanci*, et *Xicotepeci*.

CAPUT LVIII.

De QUIMICHIN *seu mure, vel* QUIMICHINTOCOXOCHITL *seu flore muris.*

Herba est fibratis insistens radicibus, unde proferuntur caules geniculati, binos dodrantes longi, folia Menthae, supernè virentia et infernè subalbida hirsutaque, lineis interstincta, et quibusdam plicaturis secundùm foliorum longitudinem, sed minoribus. Glutinosa est, et frigida natura, diciturque furunculis admota mederi.

CAPUT LIX.

De ACHOCHOQUILITL, *seu olere suavi.*

Herba est ACHOCHOQUILITL palustris, radicibus innixa capillatis, unde profert caules purpureos, cavos, geniculatos per intervalla, ac rotundos: et in eis folia Amygdali, latiora tamen, et serrata: flores Chrysanthemi juxta foliorum exortus, toto ferè caulium procursu. Edulis est cruda ac cocta, frigidumque, humidum, et suave, ut testatur nomen, praebet alimentum. Nascitur

in lacu Mexicano, et pauperum mensas subinde onerat.

CAPUT LX.

De AMOZOTL, *seu herba implicata.*

Radicem fundit AMOZOTL surculosam, extra fulvam, ac fibratam, et ex ea caules tenues, quadratos, numerosos, et partim purpurascentes, plenos foliis salignis, sed longioribus, fructuque spicato et acinoso. Edulis herba est, vicemque adhuc tenera oleris praebet, calidi et odori. Nascitur regionibus calidis.

CAPUT LXI.

De AIZTALTON, *seu herba aquae albida.*

Radice constat AIZTALTON surculosa, capillata et fulva, unde mittit caules fulvos ac tenues: et in eis folia Lini angusta, et longiuscula, albos et modicos flores, quales sunt illi Scorpiuri.

CAPUT LXII.

De ATLACHICHINOA, *seu herba aquae usta.*

Herba est radice crassa firmata, unde eduntur caules quadrati, pennatique circa singulos angulos, folia serrata, longa et angusta, flores albi et modici; quam, quoniam nihil de ea narratur, quod ad usus medicos spectet, non

curavimus depingendam. Nascitur juxta aquas, velut indicat nomen.

CAPUT LXIII.

De altera ATLACHICHINOA.

Herba est ATLACHICHINOA *altera*, floribus *Oloxochitl* similis, virentibus tamen et diluti coloris, foliis productis in longitudinem, mollibus et serratis: radicibus surculosis fibratisque, et quadratis caulibus. Herba est non omnino caloris aut adstrictionis expers, et tamen folia corpori illita, aut e frigefaciente quopiam liquore devorata febres dicuntur exstinguere. Nascitur in planis *Tauhtepecensibus* et *Tememiltzincensibus*.

CAPUT LXIV.

De ZACATLACHICHINOA, *seu Tlachichinoa herbacea.*

ZACATLACHICHINOA, quam alii *Zahuatlachichinoam* seu *scabiei Tlachichinoam* vocant, fibrata firmatur radice, ex qua fundit caules quadratos, purpureos, hirsutos, et sarmentosos: et in his folia Ocymi, sed aliquantò longiora, serrata et in purpureum colorem vergentia, verticilla Marrubii, in cujus species meritò referenda erit, et flores in postremis ramorum flagellis albos et exiles. Odora herba est, Marrubium redolens, gustuque suavis, quamquam non-

nihil amara. Calida fruitur ordine secundo natura. Tumores discutit, febrium frigora tollit, adeoque ipsas febres. Scabiem ac lepras applicata curat, unde alterum nomen. Sunt qui *Nahorteputz* vocent, quod caules ferat quadratos. Nascitur montosis saxosisque locis regionum calidarum, qualis est *Tepoztlanica*, sed praecipuè juxta aquas. Reperias alias duas herbas, non solùm nomine, sed forma quoque et facultate paene pares, de quibus ob id nihil.

CAPUT LXV.

De TEPANTLACHICHINOA, *seu Tlachichinoa parietum.*

Herba est dodrantalis, radici insistens capillatae, unde promit caules velut squamosos: et in eis folia rara, longa, lata, et mollia, e quorum exortu ramuli acervatim prodeunt, Gramini similes. Apposita maxillis dentium dolores sedat. Nascitur in planis, et juxta parietes *Tauhtepecenses*, unde evenit illi nomen.

CAPUT LXVI.

De TLACHICHINOAPATLAHOAC, *seu herba usta latifolia.*

TLACHICHINOAPATLAHOAC, quam alii *Texixiuhtli* seu *herbam saxorum* vocant, radicem crassam fibratamque agit, dulcem ac mediocris temperiei, aut cum siccitate nonnihil frigefacientis, unde profert caules cubitum longos: et in

eis folia Mali Medicae, aut Scorpiuri, cujus videtur species, et postremis ramis appensos flores Scorpiuro similes. Ulceribus ajunt mederi, dentium dolores tollere, ulcuscula oris cicatrice obducere, tumores praeter naturam repellere, febres sedare, delere scabiem, praecipuè sale et fuligine admistis, ophiasimque, curare dysenterias, haustam verò semiunciae pondere cum subsedimento *Xocoatl* laborantes febre acuta purgare. Nascitur *Ocpayocani*, *Yauhtepeci*, *Tlachmalacaci*, *Apaztlae*, *Teloloapae*, et aliis ejusmodi calidis regionibus.

CAPUT LXVII.

De altera AYTZMITL.

Radices profert AYTZMITL *altera* capillis similes, unde mittit caules Portulacae, laeves, teretes et rubeos, paulò tamen crassiores: et in eis folia magnitudine formaque Sisymbrii, pinguia tamen longioraque. Frigida herba est, et aliquantulùm sicca, Portulacae sapore, et ejusdem, ut videtur, naturae, atque speciei. Nascitur humidis et aquosis locis regionum temperatarum. Repellit inflammationes, sanguinem fluentem sistit, febres sedat, calidae medetur distemperiei. Est eadem Mexicano lacui familiaris.

CAPUT LXVIII.

De AALACTON, *seu lubrica medicina.*

Radice firmatur AALACTON fibrata, e qua profert caules tenues, teretes ac purpureos, folia serrata, Ocymo majori forma similia, longè tamen ampliora, flores multos, modicos, coccineos, vasculis contentos, et semen Malvae. Vis est nonnihil frigida et glutinosa.

CAPUT LXIX.

De AALACTON *altera.*

Radice firmatur *altera* AALACTON quoque fibrata, unde prodeunt caules e nigro in fulvum colorem vergentes: et in his folia serrata, longa, angusta, et squallentia, fulvique flores in vasculis verticillorum figura. Frigefacit adstringitque, quamobrem radix masticata gingivarum placat calorem, corroborat dentes, pituitamque elicit. Nascitur in collibus calentium regionum, qualis est *Chiauhtla*, et *Tauhtepecum*. Herbam aliam vidi apud *Tacapichtlenses* per omnia similem, sed floribus pallentibus et sapore glutinoso, similibus paene viribus et eodem nomine.

CAPUT LXX.

De APENTERISCA.

Herba est APENTERISCA sesquidodrantalis, ramulis tenuibus, rotundis, et purpurascentibus, radice fibrata, capitulis aut floribus siccis, et candentibus modicisque, foliis Lini longiusculis et angustis, per intervalla quinis senisve. Frigida natura constat, atque ideo illita corpori exstinguit febres. Nascitur *Pazcuarinis* agris Provinciae Mechoacanensis.

CAPUT LXXI.

De AMAMALACOTL, *seu Trochlea aquae.*

Herba est AMAMALACOTL palustris, orbicularibus foliis, Umbilico veneris quamsimillimis, sed nonnihil per ambitum laciniatis, longèque gracilioribus, et e pediculis longis, coccineis, laevibus teretibusque, pendentibus, innixisque radicibus in capillorum modum. Edule olus est, calida natura constans, et gustu odorum: Indi tamen ajunt adversùs febres conferre: qua ratione ipsi viderint. Ego putarim in Sisymbrii aut Laveris species referendum. Flore et fructu caret. Sunt qui dicant succum infusum cachecticis mederi. Mexicanae paludis incola est familiaris et alumna.

CAPUT LXXII.

De altera AMAMALACOTL.

Species est Pulmonariae peregrinae, foliis Sedi pinguibus, obrotundis, mediocribus, statim a radicibus, fibris similibus, prodeuntibus, mollibus, subalbidis ac veluti imporcatis. Impensè frigida et humida est: quamobrem epotus succus adversùs febres, quas puncta concomitantur, dicitur efficax esse medicamentum. Saxosis aquosisque provenit locis. Est et altera AMAMALACOTL eadem facultate et forma, sed radice Ponticae Nuci simili, quam Mechoacanenses *Ahtztri* vocant.

CAPUT LXXIII.

De TEPETLAAMAMALACOTL, *seu Amamalacotl quae in montibus nascitur.*

Volubilis est caules ferens teneros et subalbidos, in eis verò folia obrotunda et pinguia. Flore et fructu dicitur carere. Arbores scandit. Frigida et humida natura constat, repellitque praeter naturam tumores.

CAPUT LXXIV.

De ATZAUHTLI, *seu Tzauhtli aquatica.*

Caules fundit ATZAUHTLI rotundos, cavos, latum digi-

tum crassos, laeves, purpurea pelle vestitos, e medioque in cacumen sensim gracilescentes, e radicibus candidis, obrotundis, bulbaceis, fibratis, ac minimè divisis in membranas: flores in extremis ramis modicos, oblongos et pallentes, e quibus vesicae insurgunt Siliquatri forma, semine refertae: folia Satyrii, cujus fortassis species est. Radix frigida est atque humida, et vehementer glutinosa; quo fit ut Indis ac praecipuè pictoribus, qui pigmentis suis ita tenacitatem atque adhaerentiam procurant atque conciliant, glutinis usum praestet, neque aliud juvamentum novere, quod ad salutem humanam pertineat: facile tamen est judicare, cohibendis fluxibus, conglutinandis vulneribus, haemoptoicis, dysentericis, fractis ossibus, inflammationibus repellendis, exstinguendis febribus, et aliis auxiliis ad hunc modum praestandis medicamentum esse mirabile. Est et *Acaltzauhtli*, seu *Tzauhtli arundinaceum*: verùm aut eadem omnino planta est aetate tantùm, aut natalibus differens, vel illi prorsus congener, nam et facultates sunt eaedem. Nascitur *Tepoztlani*, ubi eam curavimus depingendam.

CAPUT LXXV.

De COZTICZACATZACUXOCHITL, *seu luteo, herbaceo ac florenti Tzacuaxochitl.*

COZTICZACATZACUXOCHITL, quam alii vocant *Ycohueyo*, radicem fundit bulbaceam fibratamque, unde profert caules quatuor dodrantes prolixos, longos et purpureos, folia Plantaginis aut Satyrii, magna ex parte tantùm duo: postremae caulium partes octo unciarum intervallo plenae sunt candescentibus floribus ex pallido rubeoque, suavissimi odoris, atque adeo Liliacei, Aquilegiae floribus forma similibus. Eadem, qua praecedentes, virtute constat. Nascitur temperatis regionibus, qualis est Mexicensis, ubi eam curavimus aemulandam.

CAPUT LXXVI.

De COZTICTEPETZACUXOCHITL.

Herba est similibus praecedenti firmata radicibus, e quibus coccineos, aut purpurascentes caules profert, tres circiter dodrantes longos, et in eorum cacumine florem candicantem ex luteo, Liliaceo similem, unde quidam *Yztactepetzaluxochitl* vocavere: folia Plantaginis triplo longiora, angustioraque. Frigida est radix, humida et glutinosa natura, eisdemque, quibus congeneres, viribus; floris quoque praestat huic genti usum.

CAPUT LXXVII.

De CHICHILTICTEPETZACUXOCHITL.

Radices fundit CHICHILTICTEPETZACUXOCHITL *Coatzontecoxochitl* radicibus similes, folia Iridis, sed longè pinguiora, brevioraque, et in rubeum colorem vergentia, caules teretes, purpureos, cubitum prolixos, pennamque anserinam crassos, Iridis quoque flores, sed e rubeo in candidum colorem elanguescentes. Vis est eadem, quae praecedentibus. Et quamvis radix satis glutinosa sit, gluten, quod ex hac paratur, minori habetur in pretio, quàm quod ex ea, quam praestantiae ratione *Tzacutli* vocant, sed de illa paulò post.

CAPUT LXXVIII.

De TZACUXOCHITL, *seu florida Tzauhtli.*

Congener alia planta praecedentibus ad nos allata est, sine floribus tamen, quam eodem modo curavimus depingendam, fibris insistentem, unde prodeunt caules crassi, geniculati, et Liliaceis ornati foliis. Vis eadem, quae praedictis, idemque floris usus.

CAPUT LXXIX.

De altera TZACUXOCHITL.

Est etiam *altera* TZACUXOCHITL radicibus fibratis ac *Coatzontecoxochitl* similibus, unde proferuntur folia Iridi similia, sed tamen breviora, caules verò coccinei, tenues ac prolixi: et in eis flores quoque coccinei, foliis longis et angustis quinis, praeter medium umbilicum, qui longiusculus quoque et rubeus est, compositi. Vis eadem, quae praecedentibus, locusque natalis idem. Alia praeterea species nascitur *Zayulae*, ubi *Tonaloxochitl* vocant, praecedenti similis, sed stellatis ac minii colore floribus, quam etiam curavi depingendam.

CAPUT LXXX.

De TZACUTLI, *seu Glutine.*

Radices fundit TZACUTLI Asphodelo similes, candentes et fibratas, e quibus oriuntur porracea folia, lineis discurrentibus secundùm longitudinem, caules recti et geniculati, in eisque flores e luteo purpurascentes, Irinis forma quadamtenus similes, sed longè minores. Radix est frigida, humidaque et glutinosa: ex ea enim paratur praestantissimum gluten, et valde tenax, quo utuntur Indi, sed praecipuè pictores, ut pigmenta tenaciùs adhaereant, nec

rerum repraesentatae imagines facilè deleantur. Secatur haec in frusta parva, et siccata sole laevigatur, atque ita demum nobile illud glutinis paratur genus. Posset transferri in Hispanias, quando quibusque locis vivit, editis ac planis, sed praecipuè calidioribus. Ajunt mederi dysentericis radicem ejus semiunciae pondere devoratam, verùm ceteris etiam opitulabitur morbis, qui e defluxione, nimiave laxitate solent oriri.

CAPUT LXXXI.

De COZTICCOATZONTECOXOCHITL, *seu planta flores ferente luteos, colubri capiti persimiles.*

Radices fundit COZTICCOATZONTECOXOCHITL ovi figura, fibratas striatasque, et eadem paene magnitudine, Pyrisve parvis similes, aut omnino *Coatzontecoxochitl*, cui etiam folia similia sunt, nisi haec essent latiora et longiora: flores luteos et parvos, haud dissimiles illis *Tzacuxochitl*, eodemque odore. Frigida humidaque natura constat radix, et devoratur unciae aut ampliori pondere ab his, qui alicunde exauctorati sunt, aut ictus sensere. Flores verò corollas, floridas torques et manipulos, quorum apud Indos frequens est et perpetuus usus, exornare solent.

CAPUT LXXXII.

De COATZONTECOXOCHITL.

Radicibus firmatur fibratis, oblongis, ac praecoci ficui adhuc virescenti valde similibus, virentibus, striatis, et contortis: ex quibus eduntur folia Iridis, sed longiora et latiora: flores capitibus serpentum similes, unde nomen, rubeoque colore, punctis tamen interstincto, candido et pallescente promiscuè micantes, et caules tenues, virentes, breves, laevesque. Calidis provenit, et interdum etiam temperatis regionibus juxta rupes, aut arborum truncis adhaerens, licèt jam ad hortos cultaque loca descenderit, viridariaque exornet, in quibus excolitur deliciarum ac florum gratia. Est enim flos forma spectabilis, Liliacei odoris, et quem vix quisquam possit verbis exprimere aut penicillo pro dignitate imitari; a principibusque Indorum ob elegantiam et miraculum valde expetitus, et in magno habitus pretio. Blanditiis et cultura non eget, sed ex unica radice foecundissimus fit proventus. Ex hisce floribus, eque aliis praecedentium quarumdam herbarum congenerum huic, et rubro Maizio parabantur principum Indorum placentae, quas edebant contemperando ventriculi calori, sive is accidisset a solis aestu, sub cujus radiis contraxissent moras, sive ab alia quavis interna causa

externave. Frigida siquidem humentique constat temperie.

CAPUT LXXXIII.

De TLALTZACUTLI, *seu Tzacutli humili.*

TLALTZACUTLI, quam alii *Tlallaalam* vocant, fibratae insistit radici, unde prodeunt caules: et in eis folia longa angustaque, serrata, et subalbida, Salviae aut Urticae angustifoliae similia. Flores purpurei et oblongi, calyculorum forma, quamvis sint quae coccineos et albos prope ferant. Folia omnium glutinosa sunt, et frigida Malvaceaque natura, unde nomen. In pulverem redacta, devorataque semiunciae mensura cum *Chian*, aut per se, diarrhoeas sistunt, et alias quasvis corporis humani defluxiones igneaque tubercula. Nascitur in temperatis, nec longè ab urbe Mexicensi.

CAPUT LXXXIV.

De TZAUXILOTL, *seu Tzautli spicae Maizii tenerae.*

Species est *Tzautli*, cujus radix fibras habet candentes et subernei corticis in modum leves ac molles, filis tantumdem intra latentibus, nihil enim paene habent praeter corticem. Ex his prodit caulis teres, geniculatus per intervalla, quatuor longus dodrantes, et in summo flos coccineus, parvus. Oritur praeterea ab radice stipes alius

Arundini similis, frequentibus ac parvis internodiis, solidaque natura. Folia sunt palmarum foliis similia. Caulis medetur dysentericis pollicis unius mensura ex aqua tempore matutino propinatus. Nascitur in saxosis collibus regionum calidarum. Frigidaque et glutinosa viget natura, unde profectum est illius nomen.

CAPUT LXXXV.

De ATZITZICAZTLI, *seu Urtica aquae.*

Urticae monstrificae magnitudinis, si cum nostratibus comparetur, genus est: in arboris altitudinem assurgit. Folia fert Personatae serrata, sesquidodrantem longa, dodrantem verò ac uncias quatuor lata, spinis horrentia, quibus lancinant contacta, velut ceterarum solent folia. Editur cocta. Cortex caulium tunditur, neitur velut Linum, vestesque ita ex eo parantur lineis haud dissimiles, aut deteriores. Nullum medicum ejus usum novit haec gens, praeterquam pungendi corporis partem, quam calefacere est opus, aut versùs quam oportet evocare sanguinem, et humores. Nascitur *Tepoztlanicis* agris juxta rivos.

CAPUT LXXXVI.

De COLOTZITZICAZTLI, *seu Urtica scorpionis.*

Herba est spinosa, Malvae foliis, aut Vitigineis, sed

minoribus, Cucurbitinisve: floribus luteis, oblongis et modicis: radicibus verò fibrarum in modum multis, tenuibus, ac supervacuis. Vis est eadem, quae ceteris.

CAPUT LXXXVII.

De COLOTZITZICAZTLI *altera.*

COLOTZITZICAZTLI *altera*, quam alii *Quauhtzitzicaztli* vocant, genus alterum est Urticae simile nostratibus, sed in nigriorem inclinans colorem, spiniferum, et profundiùs crenatum, ac caule crasso et rubenti. Pungunt hac planta hemicranias patientium capita, aut aliis de causis laborantia, articulos dolentes, aut permitia accessionum passos frigora et rigores, salubri, ut narrant, eventu. Provenit *Atatacci.*

CAPUT LXXXVIII.

De YOHUAYANTZITZICAZTLI, *seu Urtica nocturna.*

Urticae est alia species, caules proferens e radicibus tenuibus et rubris tenues, et coccineos dodrantalesque: et in eis folia obrotunda, serrata, et spinifera. Odore caret, sapore videtur adstringenti, frigidaque et sicca natura. Tusa appositaque, aut per se, aut cum *Tlaxincaquilitl*, tumores praeter naturam curat, atque repellit.

CAPUT LXXXIX.

De QUAUHTZITZICAZTLI, *seu Urtica montana.*

Urtica est nostratibus similis, sed amplioribus foliis et eisdem quoque viribus constans, quam non dedignati sumus et pingere et describere, ut norint omnes quàm apud Novam Hispaniam rerum etiam nostro orbi notarum luxurient varientque species.

CAPUT XC.

De TEQUANITZITZICAZTLI, *seu pungenti Urtica.*

TEQUANITZITZICAZTLI, quam alii *Tzizicaztli*, alii *Hoeitzitzicaztli*, alii verò *Colotzitzicaztli* vocant, Urticae est alia species, nostratis foliis, sed longè amplioribus, et valde pungentibus, unde nomen. Tusa dolentibus membris solet adhiberi, aut si universum corpus doleat, devorari. Nascitur *Papaloticpaci* calidis et humentibus locis.

CAPUT XCI.

De TLALTZITZICAZTLI *Tepoztlanica.*

Reperi etiam apud *Tepoztlanenses* alias duas Urticae species, quarum priorem vocant TLALTZITZICAZTLI, quasi *Urticam humilem*, nempe volubilis genus, foliis Bryoniae asperis spiniferisque, unde nomen, et floribus luteis. Po-

steriorem verò *Colotzitzicaztli* ob folia Scorpionum caudas imitantia tenuitate. Neque de illis quidquam egregium accepi, quod referre possim, praeter genus ac formam.

CAPUT XCII.

De septem TLALTZITZICAZTLI *speciebus.*

Quatuor praeterea alia offendimus TLALTZITZICAZTLI genera, quarum formas ex imaginibus dignosces. Virtute enim et facultatibus ceteris sunt similes; quarum pulvis inspersus ulcera putrida curare dicitur. Est et alia *Tlaltzitzicaztli* species radicibus in capillorum modum, ex quibus duo tresve caules oriuntur: et in eis folia serrata, rara, Olivae similia: flores spicati, rubescente semine referti, cujus pulvis infusus naribus fluxum sanguinis sistit. His adjungantur aliae duae, quarum prior foliis constat Verbasci et floribus Cirsii. Calida, siccaque et adstringente pollet natura, atque *Zibethum* vocatum quadamtenus olente, et cujus decocti jus bibatur adversùs dysenterias: folia verò capiti confricata obsistant defluxionibus. Initio spinifera, sed procedente tempore ac decidentibus spinulis innoxia ac lenis, provenientesque in calidis regionibus locis humectis, et fluminum rivorumve marginibus. Altera verò foliis maximis, spiniferis, Verbasco quoque aemulis, et lenis decidentibus spinulis, sed frigidae siccaeque temperiei. Medetur radix tu-

sa et admota ustionibus, inflammationibus, et scabiei. Nascitur in locis aquosis et humidis *Quauhnahuacensibus.* Est et aliud genus allatum ex *Huaxcensi* agro, foliis oblongis, serratis et angustis, sapore amaro et calida temperie, cujus folia duarum drachmarum pondere bilim per superna purgant, et appetentiam excitant.

CAPUT XCIII.

De TZITZICAZTLI.

Urticae et haec est species, obrotundis foliis, multisque tenuibus radicibus. Folia tusa, permista resinae ac apposita dolores e frigore ortos leniunt. Idem praestant illita aut confricata, vel eorumdem decocti lavatio.

CAPUT XCIV.

De altera TZITZICAZTLI.

Provenit *Hoeitlalpae* aliud Urticae genus, foliis hastarum mucronibus similibus, serratisque, radice crassa et fibrata, caulibus virentibus, teneris, laevibus atque rotundis, floribus spicatis a singulis foliorum exortibus procedentibus, qui tandem in exilia semina transeunt. Pungunt his tempora caput dolentium, atque ita inquiunt dolorem sedari. Radix cocta impositaque furunculos maturat et aperit. Foliis confricant crura iter agentes, cum sentire inci-

piunt lassitudinem, ac defatigari, emollientes ad hunc modum laborem, ac sensum velut hebetantes. Radix nullum videtur praeseferre saporem, sed lubrica atque humens apparet. Nascitur, ut diximus, *Hoeitlalpae* juxta domos atque parietes.

CAPUT XCV.

De ACHAYACATL, *seu herba expansa.*

Herba est ACHAYACATL radices fundens surculosas, et capillatas: et ex eis stipites lignosos ac rubescentes: folia subalbida, longa et angusta. Frigida adstringentique constat natura, et ulceribus antiquis opitulatur inspersus pulvis radicum, et caulium contritorum. Nascitur in calidis aquosisque locis. Hanc plantam pingendam non curavi, quod copia adesset plantarum ejusdem facultatis, non tamen judicavimus descriptionem praetermittendam. Visa est a nobis apud *Quauhnahuacenses*, *Temimiltzincenses* et *Coatlanenses.*

CAPUT XCVI.

De APOYOMATLI, *seu Phatzisiranda.*

Junci genus est APOYOMATLI medulla referti, ac geniculati, et sesquiulnam longi. Radicem hic fundit longam et tenuem, sed per intervalla tuberculis obrotundis nodatam, capillatamque, et florem parvum et angustum. Odora

haec est, acris, calidaque et sicca ordine tertio et quartum circiter attingens, non sine quadam adstringentia et resinaceo sapore. Pectoris dolorem tusa ac ingesta sedat, ventri verò imposita dysenterias compescit, et ventriculum, cerebrum, et cor roborat, venerem excitat, ac utero confert. Provenit *Tacambari* et *Tepecuacuilci* juxta rivos et aquosa loca. Ad Cyperi species videtur pertinere, Schoenantive. Hujus herbae radices vocant aliqui divae Helenae precarios globulos.

CAPUT XCVII.

De ACECENTLI, *seu herba aquatica Maizio simili.*

Junci etiam genus est ACECENTLI, quod alii *Tlacuahuazacatl* seu *pabulum firmum* vocant, sed inutile, et pabulo tantùm jumentorum idoneum. Radices sunt capillis similes, folia Maizii, sed longè angustiora, ac spicatum atque exile semen, adeoque Milio simile aut Maizio, unde nomen. Frigida adstringentique pollet natura, qua impedit abortum. Nascitur juxta paludes temperatarum regionum.

CAPUT XCVIII.

De CHIAUHZACATL, *seu pabulo pingui.*

Planta est dodrantalis, radicibus innixa capillis similibus, fulvisque, unde prodeunt caules et folia Junci, ad

cujus species spectare videtur. Radix ejus, cujus tantùm est in medicina usus, saporis ferè est expers, lubrica, temperati caloris et ad cohibendas diarrhoeas et vomitiones solet propinari. Nascitur in calidis et humectis locis, seu montosa haec sint, seu campestria.

CAPUT XCIX.

De ZACATLAXCALLI, seu placenta herbacea.

Nullis compingitur partibus, quae possint describi, sed capillorum filamentorumve in modum quibusvis ferè arboribus convolvitur. Haec cum primùm exoritur, viret, mox pallida fit, ac demum in rubeum mutatur colorem. Matura avellitur explicaturve ab arboribus, quibus innascitur, tunditur, efformaturque in placentas, unde nomen. Quarum ex aqua (nitro tamen et alumine adjectis) maceratarum digestarumque in conchas usus est pictoribus ad exprimendas luteis lineis rerum imagines; infectoribus verò illustrandis pallenti colore lanis, ac bombycinis filis tingendis, addito tamen gypso, ubi oporteat id pigmenti in albidius elanguescere. Ferventibus provenit regionibus, ac ex arboribus vitam, ut diximus, mutuatur.

CAPUT C.

De ZACAPOLIN, *seu pabulo glutinoso.*

Herba est ZACAPOLIN, quam alii *Zacapolton*, alii verò *Totoncaxihuitl* appellant, radici insistens fibratae, unde prodeunt caules, foliaque Gramini nostrati similia, etsi folia sint longiora et ampliora: flores ac semen circa caulium cacumina in capitula spinifera, et adhaerescentia vestibus compositum. Ajunt praedictum semen tritum ac glabris depilibusque locis applicatum restituere fluentes pilos. Frigida et sicca natura gaudet, dolorem sedat, ac tumores praeter naturam repellit. Nascitur *Ocoituci* temperatis frigidisque locis, humidis tamen et aquosis.

CAPUT CI.

De ZACATLATLAUHQUI, *seu pabulo rubeo.*

Genus est odorati Junci ZACATLATLAUHQUI, quam alii *Ocozacatl* seu *pabulum pingue* vocant, Schoenantho similis, aut fortassis ipsa Schoenanthos, radicibus rubeis, unde nomen, multis ac tenuibus, ex quibus proferuntur caules juncei, quatuor longi spithamas, flores candentes et spicati circa caulium postrema, folia verò Gramini similia. Calida planta est siccaque ordine tertio, partium subtilium, oletque Citrea Mala. Tussientibus inter cetera mirè dicitur prodes-

se, pellereque horrores febrium intermittentium. Nascitur in calidis ac praecipuè apud *Quauhnahuacenses et Tacapichtlenses.*

CAPUT CII.

De ZACACAMOTOTONTIN, *seu pabulo insistente radicibus parvis, Camotl similibus.*

Herbula est ZACACAMOTOTONTIN, quam alii *Camozacatl*, et alii *Totomitic* vocant, Cypero haud dissimilis, radicibus insistens multis, succo manantibus, Asphodeli radicibus haud dissimilibus, minoribus tamen et candentibus, quibusque filamenta quaedam partesve appendeant tenuiores, ac fibris pares, unde prodeunt folia Hordei Graminisve, tres spithamas longa, flores verò ac fructus, ut referunt, nulli. Frigidae sunt radices et humentis temperiei, lubricae, et nonnihil odorae. Urinam retentam pellunt, pruritum sedant, et febribus trium drachmarum pondere adversantur, quod suadet frigidam esse, etsi non desint ei partes quaedam calidae atque subtiles. Provenit apud *Tepoztlanenses* et *Huexotzincenses.*

CAPUT CIII.

De ZACATECTLI, *seu pabulo scisso.*

Species est Junci odorati triangularis ZACATECTLI, foliis parvis et angustis, Gramini similibus, radice fibrata,

et caulibus rotundis, geniculatis et rubescentibus. Odora radix est, calidaque et sicca tertio ordine, adstringens et amara. Propinant eam Indi ex aqua his qui tussiunt, pectusve dolent, ad roborandum ventriculum, capitis humiditatem nimiam exhauriendam, et quamvis frigiditatem, quae altiùs insedit, exstirpandam, ad roborandum cor, et ad ceteras affectiones, quibus Cyperi radix solet esse utilis. Herba est insignis, et orbi nostro peregrina.

CAPUT CIV.

De ZACAHUITZTLI, *seu pabulo spinoso.*

ZACAHUITZTLI, quam alii *sagittam parvam* vocant, radicibus firmatur capillis similibus, unde profert folia frumentacea, tres dodrantes prolixa, longioresque culmos, et in eorum postrema parte spicas horrentes aristis, ob quarum miraculum curavimus depingendam, nam fortè fortuna circumerrantium pecorum adhaerentes velleribus, sensim in viscera usque ipsa penetrant irrumpuntque, sive ea sit natura hujus mali, sive quia semel infixae retrocedere, aut avelli, obstantibus obliquis quibusdam ligulis incolumi carne nequeunt. Idem efficiunt infixae hominum vestibus, ni opportunè amoveantur. Haud dissimilis est spinis *Huitztlacuatzin* natura, de quo inter animalia loquemur. Drachmae pondere ex aqua devorata dysentericos fluxus compescit.

Provenit in calidis *Tauhtepecensibus* et latè campos subinde occupat.

CAPUT CV.

De ZACATTAC, *seu pabulo foetido.*

Herba est surculosis innixa radicibus, è quibus profert caules duas spithamas longos, tectos foliis longis, angustis, et frumentaceis, et in summo flosculos purpureos et obrotundos. Radices Mala Medica olent. Calidae et siccae sunt, subtiliumque partium. Succum instillatum naribus ajunt caput purgare et dolorem ejus tollere. Addunt usus alios quamplurimos, qui praedictam temperiem sequi solent. Nascitur in collibus *Ocuillae.*

CAPUT CVI.

De CUTURI.

Species altera est Cyperi, a Mechoacanensibus ad nos advecta, *Cacatectli* radice tantùm dissimilis, eisdemque viribus, sed membris torpore tentatis potu mirè conferens. Nascitur in frigidis montosisque locis Provinciae Mechoacanensis.

CAPUT CVII.

De CANTABRICA *Indica.*

Hanc herbam depingendam curavimus, quòd a Cantabrica Pliniana non multum videtur abesse. Radicibus si-

quidem innititur fibris similibus, unde profert frumentacea folia, aut Agrosti paria: caules, ut ait Plinius, pedales et junceos, et in his flosculos oblongos, calathorum instar, semine perquam minuto. Nascitur ubique.

CAPUT CVIII.

De ytzoncal, seu herba capillata.

Ytzoncal, quam alii *Tecuaniytentzon* seu *barbam leoninam* ob similitudinem vocant, radicibus firmatur capillis similibus, unde profert folia longa et angusta, frumentaceis gramineisve similia. Sapore et odore insigni caret, frigefacientique et humenti constat natura. Propinatur febrientibus: cum *Cihoapatli* verò *Mecatlanensi* et *Tcuitlatetepon*, de quibus in suis locis agitur, redactis in farinam, propinatur enixis pro Indorum consuetudine roborandi causa: per se autem dicitur provocare appetentiam. Nascitur in calidis *Mecatlani*, humilibus humectisque locis.

CAPUT CIX.

De ytztollin, seu Junco novaculari.

Ytztollin, quem alii *Tollin* seu *Juncum*, alii *Macuam* vocant, genus est Cyperi magnum, de quo nihil aliud accepi, quàm fieri ex eo storeas, in magno habitas pretio, esseque jumentis pro pabulo, et mederi febribus radices, ut

quae frigidae sint naturae. Nascitur enim abundanter apud Mexicanos et Mechoacanenses juxta paludes et stagnantes aquas, cum aliis quibusdam generibus Cyperi, quibus pro pabulo jumentorum toto anno uti consuevere.

CAPUT CX.

De TOTONCAZACATL, *seu pabulo calenti.*

Radicem fundit fibratam, caules rubescentes, et Allii folia. Calida herba est, et in Junci quoque species fortassis referenda. Discutit pannos tusa, atque imposita. Provenit in frigidis *Tototeпecensibus.*

CAPUT CXI.

De TZONTOLLIN, *seu Junco capillato.*

Junci rotundi et odorati species est, ac fortasse ad Schoenanthi genera pertinens. Radices fundit capillatas, et ex his caules rotundos, laeves et cavos, et in cacumine capitula lutea et oblonga. Radix est dulcis, adstringens et odora. Tussi opitulatur, urinam evocat, ventriculum, cor et caput corroborat, membra debilia firmat, uterinis auxiliatur affectibus, laxam alvum adstringit, ac fluxus cohibet. Nascitur in calidis *Nexpae*, Provinciae *Totonacapensis*, montosis ac campestribus locis, pinguibus tamen atque humentibus.

CAPUT CXII.

De TEPALOANIZACATL, *seu herba adhaerescente.*

Junci species est excelsa, innixa radicibus intus candidis, et extra fulvis, mutuò inter se adhaerescentibus, nucum ponticarum forma et magnitudine, fibratisque, unde proferuntur caules juncei, referti foliis longis et angustis, adeoque frumentaceis similibus, ac circa summum semine in spicas composito. Radix est frigida, sicca et adstringens. Nascitur in calidis et humectis locis *Xicotepecensibus.*

CAPUT CXIII.

De TOLPATLI, *seu Juncea medicina.*

Junci rotundi et odori species est, radicibus insistens orbicularibus, fibratis, et e surculis quibusdam per intervalla pendentibus, unde proferuntur juncea folia, et caules praelongi, teretes laevesque, ex quorum parte summa flos pendet fulvus, et in quaedam velut capitula coacervatus. Radices ejus in pulverem redactae, commistaeque farinae *Tetechmomatiani Tzotzocolcensis*, et multorum generum floribus aliis, amorem dicitur conciliare, si modò mulieris manum aliquam, aut carnem vir illis conspersus attingat. Nascitur in calidis *Tzotzocolcensibus.*

CAPUT CXIV.

De TEPETOLLIN, *seu Junco montano.*

Junci genus est TEPETOLLIN, quod alii *Metztli*, alii verò *Tacxoyauh* vocant, fibrata radice luteaque insistens, unde profert folia porracea, duos dodrantes longa, et caules juxta radicem rubescentes et pallentes. Jus decocti unciae unius radicum omnes purgat humores, et habetur praesentaneum medicamentum his qui oblongis aegritudinibus contabuere. Nascitur in montosis planisque regionum frigidarum locis.

CAPUT CXV.

De TEPANQUIOTL, *seu herba in petris nascente.*

Radices fundit TEPANQUIOTL Asphodeli similes, minores tamen, ac tenuiores, folia porracea, caules teretes, tenues, laeves ac geniculatos per intervalla culmorum frumentaceorum more, solidos tamen ac tres ferè longos spithamas; juxta quorum partes summas prodeunt flosculi pallentes et modici, in spicas compositi, sed rari. Frigida et humida temperie constat, et sapore ferè nullo. Adhibetur aegrotantibus humectandae linguae orisque, et sitis exstinguendae gratia, salivaeque evocandae. Nascitur in collibus, montosisve locis.

CAPUT CXVI.

De TEPEXONACATL, *seu Caepa montana.*

Radices fundit TEPEXONACATL teretes et oblongas, decem duodecimve, ex quibus edit folia Allii, minora tamen et angustiora, porraceave, caules teretes, tenues et purpureos: et in eis luteos flores, oblongos, verùm nonnihil dilutos, refertos semine nigro, emicantes imbrium tempore, a Majo scilicet mense usque in Septembrem in montibus: sylvestres enim Caepae sunt, et inde nomen sumsere; sed nullo paene sapore. Frigida constant natura radices, et alvum mistae *Cacaoatl* dicuntur coërcere, cum *Tlaollive* decocto. Provenit locis asperis saxosisque frigidarum regionum.

CAPUT CXVII.

De XOMALLI.

XOMALLI, seu Juncus Sparto similis, ab exilitate et forma dictus est. Junci enim genus est nostratibus simile, sed tenue et parvum, simillimisque floribus, eisdem radicibus, et non aliter desinens in mucronem aut acumen. Libuit hîc eum et describere, et depingere, quoniam Indico praecipuè circumdato gossypino filo, et illito albumine ovi, oleove dulcium amygdalarum, et insperso pulvere *Cocoztic*, aut cau-

dae *Tlacuatzin* admotoque peni urinam, atque adeo quidquid urinae meatus obstruit et occludit, evocat. Nascitur Mexici humectis et lacustribus locis.

CAPUT CXVIII.

De ZACAPATLACHTLI, *seu pabulo latifolio.*

Ita vocant Mexicani Panici sylvestris quoddam genus, aptissimum quadrupedibus impinguandis, temperatis regionibus, et humectis locis palustribusque proveniens. De quo nihil quod ad usus medicos spectet, dicendum habeo. Cujus rei gratia minimè est imagine expressus.

CAPUT CXIX.

De AYOTOCHXIHUITL, *seu herba Ayotochtli animalis.*

Herba est AYOTOCHXIHUITL, quatuor dodrantes longa, radice capillata, caulibus teretibus, et squallidis foliis Chamaedryos Urticaeve, serratis, sed tamen magis acuminatis, floribus albis in summo, orbicularibusque. Odora herba est, et amari saporis, calidaque et sicca ordine tertio. Utuntur ea Indi adversùs ventriculi dolores, flatus, iliacum et colicum morbum, et frigora, jure ejus decocti propinato. Nascitur montosis, atque saxosis locis regionum frigidarum. Servantur verò folia, atque recondi solent in annuos usus.

CAPUT CXX.

De AHOAXIN, *seu Hoaxin aquatica.*

Species est HOAXIN humilis et prope aquas nascens. Cujus quoque siliquae edules sunt, crudae atque coctae, alliorumque usum, quae mirè referunt, odore et sapore praestare solent. Neque ad aliam rem commendantur, quamobrem delineari noluimus.

CAPUT CXXI.

De HOAXIN.

Arbos illa notissima Novae Hispaniae, vastaque, quam HOAXIN, quoniam siliquas ferat, vocare solent, foliis constat parvis, Rutae proximis, paulò tamen longioribus, et ex utraque ramulorum parte ordine quodam, velut illa vocatae *Mizquitl*, aut *Tamarindorum*, prodeuntibus: siliquis veró dodrantem longis, binosque latis digitos, quae veris eduntur tempore. Comedunt has Mexicenses haud aliter ac *Chichimecarum* populi eas, quas fert arbos *Mizquitl* nuncupata, loco panis. Si hae virentes mandantur cum suo cortice, dolorem ventriculi a frigida causa ortum sedare dicuntur. Sunt enim impensè calidae, coctionem juvant, et obstructiones aperiunt. Harum nuclei allia olent, et cum eisdem ferè polleant viribus, ferculis additi coctionem, ut di-

ximus, procurant. Materies hujus arboris firma est, atque Ebeno similis, rubra tamen et intestinis operibus accommoda. Usta odorem ad quatuor millium passuum distantiam pulveris, quo tormenta bellica caedes strepitusque terrificos ciere solent, spirat. Sunt et aliae arbores non paucae eodem ferè nomine, de quibus commodùm dicetur. Temperatis calidioribusve gaudet, et campestria amat loca.

CAPUT CXXII.

De HOIXACHINQUAHUITL.

HOIXACHINQUAHUITL, seu *arbor denigrantium siliquarum*, arbor etiam nota est, folia ferens *Mizquitl*, aut leguminis, admodum parva: flores pallentes et modicos capillorum forma, quibus in pappos abeuntibus apparent siliquae mediocris magnitudinis, nigro semine lentium forma, sed crassiore refertae. Perfracta siliqua, illitaque ejus saliva oculis aut aqua, ubi aliquamdiu infusa manserit, morbis eorum mirè subvenitur. Jus etiam decocti siliquarum praeservat a fissura omnique alio vitio capillos, si cum luto *Palli* vocato misceatur; duratque annos integros tinctura. Sunt autem quatuor dies singulis quibusque mensibus ungendi. Vicem eaedem praestant atramenti Rhoisque, et tingunt atro colore vestes aut quaevis alia. Jus decocti radicum infusum medetur dysentericis. Nascitur ubique, sed

praecipuè temperatis regionibus, juxta montes eorumque culmina.

CAPUT CXXIII.

De HOEIHOAXIN, *seu Hoaxin magna.*

Arbor est similis *Hoaxin*, sed siliquis longè majoribus, minoribus foliis exilioribusque. Ad Acaciae genera videtur pertinere. Cortex radicis frigidus est et adstringens. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Tepecuacuilcensis*. Sunt et aliae permultae arbores *Hoaxin* similes, eademque temperie et forma, et ad Acaciae pertinentes genera, de quarum nonnullis suis dicetur locis. Omnes enim complecti valde esset difficile, aut praesenti instituto non admodum necessarium.

CAPUT CXXIV.

De MAZATLYHOAXIN, *seu Hoaxin cervina.*

Herba est quatuor dodrantes longa, firmata radice rubra et fibrata, unde proferuntur caules laeves, tenues, hirsuti cinereique, folia laevia, firma, et obrotunda ac vocatae Nummulariae similia. Cortex radicis adstringens est calidaque secundo ferè ordine natura. Pulvis ejus medetur ulceribus antiquis, dilutis jam ex vino inspersus. Provenit in calidis collibus *Oapani*.

CAPUT CXXV.

De PEPETOAXIN, *seu Hoaxin lubrica.*

Arbor parva est PEPETOAXIN, stipites fundens cinereos, folia obrotunda et firma, flores candentes orbiculares, et in aristas abeuntes, siliquas parvas et coccineas, quarum cibo qui frequentiùs utuntur, defluvium capillorum sentire solent, velut et jumenta quae ad eam sese arborem scalpunt, et confricant. Cortex ejus, qui subacidus est, frigidaque et sicca temperie, tritus atque in laevorem redactus inspersusque ulcera curat, praecipuè si ante urina abluantur. Nascitur in calidis *Acatlicpacensibus* et *Tauhtepecensibus* ubique. Est et alia parva arbos eodem nomine, oblongis tamen foliis edulibusque, et octo uncias longis, quam, quod esset supervacanea, non curavimus depingendam.

CAPUT CXXVI.

De TLALHOAXIN *prima.*

Herba est TLALHOAXIN *prima* seu *humilis Hoaxin* longa, verùm tota exilis, nam et folia angusta et longiuscula sunt : flos purpureus et exilis, et siliquae tenues et modicae. Radix est fibrata, ordine secundo calefaciens et exsiccans, amaraque, et sapore leguminis aut Glycyrrhizae. Ea-

dem laevigata et inspersa naribus trahit pituitam, atque ita oculos lippientes curat. Nascitur *Xochitepeci.*

CAPUT CXXVII.

De TLALHOAXIN *secunda.*

Est et alia TLALHOAXIN, quam distinctionis gratia *secundam* vocamus, foliis serratis, oblongis, Chamaedryos similibus, et ad mediocres arbores pertinens, longas ferens siliquas, angustas et purpurascentes, quae edules quoque sunt. Neque alium plantae hujus usum accepimus.

CAPUT CXXVIII.

De TLALHOAXIN *tertia, quam et* ECAPATLI, *seu venti vocant medicinam.*

ECAPATLI, quam alii TLALHOAXIN, alii *Totoncaxihoitl* seu *calidam medicinam*, alii verò *Xometontli* seu *parvam Sambucum*, alii verò *Xiopatli* vocant, frutex est hispidus, foliis Amygdali, caulibus lentis, tenuibus, purpureis, et teretibus: floribus luteis, mediocribus, in extremis ramorum flagellis, ex quibus siliquae oriuntur tenues, teretes, longae, et majori ex parte purpureis granulis Lenti similibus, minoribus tamen refertae. Odore est gravi, sapore amaro, calidaque, sicca, et nonnihil adstringenti natura. Tumoribus praeter naturam ulceribusque medetur: infantibus lac

evomentibus auxiliantur ejus folia, si contusa apponantur ventriculo, admota verò, illitaque capitis dolorem levant, et universo corpori applicata, aut devorata pugilli mensura febrium horrores. Sunt qui dicant sic quoque satietati mederi, et leprae testa priùs corrasae, quam Indi *Xiotl* vocant, et lichenibus impositam auxiliari. Locis provenit campestribus regionum calidarum, aut temperatarum, quamquam intra domos quoque et viridaria remedii causa soleat et coli et seri.

CAPUT CXXIX.

De quarta TLALHOAXIN.

Est et alia TLALHOAXIN *quarta*, praecedenti forma omnino similis, sed floribus cyaneis et modicis, et foliis minoribus. Hujus radix saporem leguminis videtur praeseferre, aut Glycyrrhizae, etsi demum amaritudinem quamdam ostendat. Calefacit, humectatque ordine secundo. Trita atque instillata naribus pituitam trahit, atque ita morbidis auxiliatur oculis, ac lacrymis sponte manantibus. Provenit in campestribus ac planis locis *Xicotepecensibus*.

CAPUT CXXX.

De quinta TLALHOAXIN.

Ita vocant *Quauhnahuacenses* leguminis genus ferens

siliquas refertas granulis edulibus, Erviliae similibus, cujus sunt innumerae species, quae a me non erunt ampliùs attingendae.

CAPUT CXXXI.

De TEPEHOAXIN, seu Hoaxin montana.

TEPEHOAXIN, quam alii *Tepemizquitl* vocant, folia fert *Mizquitl*, et praegrandes siliquas. Amara est, lubrica et calida natura. Febres ajunt curare illitam, si cum *Hoitzitziltemtli Hoaxtepecensi*, quae quinta est, misceri contingat: corticem verò tusum ac trium drachmarum pondere devoratum ex aqua purgare ventrem. Nascitur *Quauhtlani* et *Hoaxtepeci* juxta colles saxosos.

CAPUT CXXXII.

De TLAPALOAXIN, seu Hoaxin coccinea.

Arbor est magna, foliis *Hoaxin*, et ad ejus species pertinens, floribus parvis et candentibus. Cortex est valde amarus calidusque, et siccus ordine tertio, quo contrito et ex aqua resoluto abluuntur exanthemata, et ii qui sentiunt vocatos a recentioribus morbillos. Provenit *Oapani*.

CAPUT CXXXIII.

De TEPEHOAXIN *secunda.*

TEPEHOAXIN *secunda* folia Ciceris fert, flores ex albo rubescentes et oblongos, radicem fibratam, et siliquas granulis edulibus refertas. Nec aliud de ea planta adhuc accepi.

CAPUT CXXXIV.

De ACHACHAYOTLI, *seu aquatica Chayotli.*

Herba est ACHACHAYOTLI foliis, caule, capreolis, volubilibusque viticulis albae Viti persimilis, flore luteo parvo, vasculis trigonis senisque, ubi continetur semen. Frigidae est atque humentis naturae, et nullius saporis. Ustis medetur, et inflammatis particulis fert opem. Nascitur *Quauhnahoaci* juxta ipsas urbis domos: pingendam tamen non curavimus, etsi vascula peregrina et rara compingerentur figura.

CAPUT CXXXV.

De ATEZCANEUXOCHITL, *seu flore lacustri dulci.*

Volubilis genus est ATEZCANEUXOCHITL, foliis longis, et serratis, stipitibus teretibus, tenuibus ac purpureis, floribus longiusculis calyculorum forma, candidis, ac circa extrema purpureis, cyaneisve. Ex quibus jam marcescentibus prodeunt vasa in mucronem desinentia, referta minuto se-

mine. Ajunt tumores praeter naturam impositam bis die repellere: saporis enim et odoris insignis est expers, frigidaque et glutinosa natura. Eodem nomine appellat eadem gens Volubilis quoddam genus, Hispanis jam frequens, quo funes irretiuntur, foliis cordis figura, cyaneisque, et interdum purpureis floribus hinc inde prodeuntibus exornantur, quod tamen velut nostris jamdiu notum, et cujus perplures apud Indos nascantur species, praetermittitur. Nascitur ubique in calidis ac praecipuè juxta rivulos et flumina.

CAPUT CXXXVI.

De AHOAYOXOCHITL.

Volubilis genus est AHOAYOXOCHITL, radicis longae ac tenuis, foliorum paulò Ocymo majorum, ac delumbatorum, floris cyanei longi, siliquarum Erviliae, ac geniculatorum caulium. Pulvis foliorum impositus medetur ulceribus. Frigida siccaque est, ac saporis et odoris insignis expers. Provenit montosis locis, in calidisque *Ocpayocani* regionibus nasci gaudet.

CAPUT CXXXVII.

De ACHILTON, *seu siliquastro aquatico.*

Radicibus innititur fibris similibus ACHILTON, unde caulem fundit ulna longiorem, tenerum, teretem, ac medio-

criter crassum, folia Urticae, mollia, serrata, atque majora, et flores arentes, glandibus spondylisve, candentibus, et parvis persimiles. Acrem saporem praesefert, urentem, calidamque et siccam quarto ordine naturam ac subtiles partes, unde nomen. Os linguamque Siliquastri more gustata adurit. Oculorum pruritum sedant illita germina teneriora. Provenit in calidis *Temimiltznici*, non procul ab aquarum fluentis.

CAPUT CXXXVIII.

De ACHILTO, *seu Chilli parvo aquae.*

Folia fert ACHILTO Urticae, fructum in postremis caulibus Typhae granis parem. Succus instillatus naribus dicitur dolorem capitis tollere, quod non videtur valde rationi consentaneum, cum sit frigidae et humidae naturae, nisi fortè dolor a calefaciente causa sit ortus.

CAPUT CXXXIX.

De ACHILTON *Tacapichtlensi.*

Radicibus insistit surculosis ACHILTON *Tacapichtlensis*, quam alii *Piltzinteuhxochitl* seu *florem filii Herois* vocant, e quibus proferuntur caules sexdodrantes longi: et in eis folia saligna, et flores extra coccinei, intra verò pallescentes. Folia principio saporis videntur expertia, postea verò

sentiuntur amara, calidaque et sicca ordine secundo, et crassarum partium. Provenit juxta aquas. Nascitur apud *Tacapichtlenses*, ubi etiam offendi fruticem quemdam, *Achichil* vocatum, foliis ornatum Amygdali, tamen minoribus, frigidae et adstringentis naturae.

CAPUT CXL.

De altera ACHILTON.

Radices fundit fibris similes, et inde caules breves, folia in tres cuspides longas et angustas divisa, et flores ex albo purpurascentes et modicos, toto ferè caulis procursu. Frigidae et humidae est naturae, aut temperatae, calida glutinosaque, et tumores praeter naturam apposita repellit; pulvis verò inspersus medetur ulceribus, oculis inflammatis ac dysentericis. Nascitur in calidis *Ocpayocanensibus* juxta flumina, necnon *Ocoituci* et *Tacapichtlae*, ubi *Macuilyma* vocant.

CAPUT CXLI.

De CHILXOCHITL *Amaquemequensi.*

Herba est CHILXOCHITL *Amaquemequensis* tres dodrantes longa, rutaceis foliis, ac modicis floribus, tenui et longa radice, frigidaque et sicca natura. Ajunt mederi satietati, corroborato fortassis ventriculo, aut viis communibus ex-

purgatis, quod nisi compressione quadam eveniat, quî fieri possit, non video. Provenit *Amaquemecae*, unde cognomen. Est et alia planta *Chilpipiloa* seu *pendens* vocata, radice firmata candenti, Raphani forma, unde prodeunt caules ornati foliis longis et angustis, et coccineis floribus, quae sapore et odore caret. Frigida constat natura, et febres quomodolibet admota exstinguit, tumores repellit et fluxus sedat. Provenit *Quauhzulci.*

CAPUT CXLII.

De CHILXIHUITL.

Frutex est CHILXIHUITL folia ferens Lauri, sed tamen magis acuminata, flores coccineos, dilutos, oblongos et parvos, ac siliquas tenues. Frigefaciente facultate constat, nec ullum insignem praefert odorem aut saporem. Nascitur in frigidis *Tototepecensibus.*

CAPUT CXLIII.

De CHILQUILITL, *seu olere Chilli.*

CHILQUILITL, quam alii *Achilton* vocant, herba est radici capillatae insistens, unde mittit caules geniculatos, folia infernè subalbida et hirsuta, supernè verò viridia, angusta longaque. Folia prodeunt e nodis, caulis verò illum Polygoni aemulatur. Flos est pusillus, orbicularis, et su-

perna parte hians, herba verò tota squallida. Odore et sapore caret insigni : infusa alvum lenit, ac ventris tollit dolorem; foliorum verò succus medetur morbis oculorum. Nascitur in frigidis *Tototepeci.*

CAPUT CXLIV.

De CHILXOCHITL, *seu flore Chilli.*

CHILXOCHITL, quam alii *Tlacoxochitl* seu *virgam Xochitl* vocant, frutex est stipites proferens lignosos, folia Solani, serrata tamen, oblonga, virentia, ac venis secundùm longitudinem discurrentibus insignia. Flores coccineos, oblongos, *Chilli* similes, a quibus nomen, unde procedit paxillus eodem colore. Frigidae est naturae, lubricitatem quamdam praesefert, compescitque infusum jus decocti ejus dysenterias. Septembri floret, calidis regionibus et locis planis proveniens.

CAPUT CXLV.

De CHILPATLI, *seu medicina Chilli.*

Radici insistit fibratae, e qua prodeunt caules virentes et geniculis intercepti, sex longi cubitos, septemve : et in eis folia Ocymi, sed majora, circinata, et infernè subalbescentia : flores modici, lutei, compositi in corymbos et in coccineum inclinantes colorem, e quibus demum compin-

guntur acini piperi nigro, aut baccis Oxyacanthae persimiles. Acris est, calidaque et sicca ordine quarto natura. Initio resinam sapit, postea urentem ostendit vim. Folia duorum scrupulorum pondere in pulverem redacta ac mista decem unciarum *Attolli* mira velocitate et efficacia corpus a cunctis expurgant humoribus, et quartanis praecipuè medentur; plura verò inducerent periculum. Dentium dolorem sedant admota folia, et palmarum lichenes: curant membra rimis dehiscentia scabiemque, et ulceribus putridis ac cancerosis opem ferunt infusa aliquandiu *Tlaolli* potioni. Lac verrucas exedit, et tumores praeter naturam rumpit. Quinque folia devorata ajunt dysenteriae mederi, extorso fortassis cruore aut adstrictione, cujus non est omnino expers, et doloribus articulorum. Sunt qui sagittas ejus succo inficiant vice toxici, atque ita commodiùs cervos ferasve consternant. Provenit in calidis *Pahuatlani*, *Papaloticpaci* et *Hoeitlalpae*, in locis planis et montium acclivibus; seriturque et colitur in hortis medicinae gratia.

CAPUT CXLVI.

De CHILLAPATLI.

Frutex est radici fibratae insistens, foliis roseis, floribus coccineis, parvis, binisque juxta singulos foliorum exortus, universo caulis procursu. Calida siccaque ordine ter-

tio temperie constat, dolorem ventris devorata sedat, et cum *Chillatolli* folia pugilli mensura pectori mirum in modum prodesse feruntur. Quin si exhibeatur his qui febrem quartanam patiuntur, brevi ab ea liberantur. Provenit in calidis *Hoaxtepecensibus* et *Tacapixtlensibus*, ubi ejus exploravimus tradidimusque vires.

CAPUT CXLVII.

De TACACHILTON, *seu cuspide Siliquastri.*

Volubilis genus est, radici innixum surculosae, unde profert caules sarmentosos, laeves, et squallidos, in his verò folia Helxines, singulis ex utraque parte alis eminentibus. Acris est radix, urens calidaque ordine quarto et exsiccantis facultatis : folia mitiùs calefacere videntur, quibus illitum corpus a febre ajunt liberari evocato, ut puto, sudore et morbi causa per poros vacuata. Nascitur in montibus *Xochitepecensibus.*

CAPUT CXLVIII.

De TACACHILTON *Quauhnahuacensi.*

Volubilis est radicibus in surculorum modum, fuscis, foliis Helxines ternis, medio tamen majore, quorum intervenia discurrunt secundùm longitudinem.

CAPUT CXLIX.

De alia TACACHILTON.

Herba est hominis aequans altitudinem, salignis foliis, caule tereti, virente et laevi, floribus e luteo rubescentibus, coacervatis in manipulos, siliquis teretibus, quales Siliquastro, verùm minoribus, refertis semine argenteo, tenui et latiusculo. Germina commansa ulceribus opitulantur. Radix est prolixa, lignosa, et fibrata, saporis dulcis, temperiei mediocris aut in frigus et humiditatem paulisper inclinans. Nascitur in calidis *Teboitztlae* juxta fluvios et aquarum alveos.

CAPUT CL.

De QUAUHCHILZOTL, *seu ligno Siliquastri vetusti.*

Frutex est QUAUHCHILZOTL parvus, Rhamno similis, foliis subalbidis, legumini aut Nummulariae similibus, et luteis floribus. Radix addita *Metl* vinum efficit. Cortex qui suberneo proximus est, medetur ulceribus, ustionibus verò tostus ac deinde contusus. Frigida et humenti natura constat, aut paulò calidiore. Dulcis est. Provenit montosis calidisque locis, quales sunt *Quauhnahuacenses* et *Teucaltzincenses*.

CAPUT CLI.

De TLACOCHILLI.

Arbor est TLACOCHILLI, seu *Virga Siliquastri*, Persici magnitudine. Folia, quae ocymina sunt, serrata, et in acumen tendentia, tusa, resoluta ex aqua atque devorata bibuntur adversùs ventris dolorem. Ramis etiam illius verberant eorum, qui balneantur, corpora, ut medeantur scabiei. Nascitur in frigidis *Tototepecensibus*.

CAPUT CLII.

De TLACOCHILTON.

Radice firmatur TLACOCHILTON fibrata, e qua edit cau-les lignosos, et purpureos, folia Peplis, flores longiusculos et coccineos, calyculis contentos. Radix est frigida, siccaque, et valde adstringens: quo fit ut jus decocti ejus infusum sistat dysenterias, adstringatque fluentem alvum epota, aut illita ventri. Provenit *Ocuilae*.

CAPUT CLIII.

De CHILLI.

CHILLI seu *Piper Mexicanum* planta est ferens siliquas illas, quae ab Haitinis *Agies*, ab antiquis, ut quidam volunt, Siliquastra, et ab Hispanis Piper Indicum vocantur,

quae licet jamdiu in nostrum orbem translata sit, ibique et in hortis et in vasis fictilibus ornamenti et usus gratia seratur et habeatur in deliciis; tamen quoniam apud Indos multò plura eorum genera reperiuntur, et orexi excitandae, commendandisque ferculis in usu quotidiano est, adeo ut nullam sit reperire mensam sine *Chilli*, atque ideo quotidiano experimento sint illius facultates notissimae, animatus sum non modò eorum differentias, quae in Nova Hispania proveniunt, de quibus modò agitur, verùm ferè omnium specierum, quae adhuc ad manus nostras pervenerunt, exhibere imagines, formas describere, universamque posteritati facultatem et naturam tradere. Ergo generum omnium folia Solano similia sunt, et paene paria, si *Quauhchilli* excipias, quae minora eadem fert, et flores candidi, e quibus siliquae oriuntur primò virides, mox majori ex parte in rubrum, et demum in passeum inclinantes colorem, refertae parvo semine, exili, candicante, contuso, in orbem efformato, acris gustus, atque urentis naturae, quae ad semen praecipuè attinet. Quartum hae caloris gradum attingunt, et tertium ferè siccitatis, etsi recentes excrementitio quodam humore abundent, qui totus paene vetustate evanescat; unde fit, ut saepe excitato flatu venerem stimulent, ac interim alvum, non sine quodam tenesmo ac sensu doloris his praecipuè, qui hujusmodi condimento an-

tea non assueverant, leniter emolliant; quamquam ejus rei acumen possimus non immeritò in causa esse affirmare. Urinam et menses evocant, corroborant ventriculum ob frigus imbecillem, coctionem eadem occasione labefactatam juvant, appetentiam contemperato ex eis cum vocatis *Tomame* intinctu mirè excitant, et pituitosos humores undecumque, sed potissimùm coxae articulis adhaerescentes discutiunt, et purgant. Aliqui ajunt hecticorum peropportunum esse remedium ventrem lumbosque aculeis *Chilli* madentibus perpungere. Nutrimentum item calens, ac siccum multumque praestare, sed renes excalfacere, et inflammato sanguine atque jocinore, ad nefriticos, phreneticos, et pleuriticos affectus, ad perineumonias, aliosque tumores internos, puncta et similia symptomata, seu nutrimenti, ut saepissime Indi solent, seu condimenti, vice immodicè aut frequentiùs utantur, perducere. Prior ergo species, ut singulae jam membratim enarrentur, Mexicanis *Quauhchilli*, hoc est *Chilli arboris*, Haitinis verò, apud quos minor, orbiculatior et a minori planta edita praefertur, *Chilli montanum* dicitur. Minimum est id omnium, et oleas tribachas forma et magnitudine repraesentans. Cumque omnia ferè genera quarti ordinis calorem attingant, hoc ceteris omnibus sentias urentius, atque ideo in condimenta, non in nutrimenta venire, solùmque intinctibus et salsa-

mentis piperis loco misceri, et toto provenire anno. Secundum genus *Chiltecpin* dictum a culicibus, quos parvitate et colore videtur imitari, ab aliis vocatur *Totocuitlatl*, quod est *passerinum stercus*, ob parvitatem et colorem, ab Haitinis verò, ut audio, *Huarahuao*, quod licet aliquando videatur praedicto urentius, citiùs tamen calorem amittit. At tres videas hujus generis differentias, natali solùm loco, et tempore, quo leguntur, distinctas. Prior vulgaris est, altera priori similis, sed soli ratione in atrum inclinans colorem, atque ideo dicta *Tlilchilli*, quod est *Chilli nigrum*, tertia demum minor omnibus, et post praecedentem fructu media; omnes enim hujus plantae species triferae apud Indos sunt, primus fructus major est, postremus minimus, et natu medius mediocris quoque est magnitudinis. Seritur Septembri mense, et a Decembri ad calendas usque Aprilis colligitur. Tertium a sole *Tonalchilli* dictum, irriguis enim locis cessantibus jam imbribus, id est, Augusto et Septembri mense solet seri, et producere fructum a Novembri usque ad Martium et ab Haitinis *Chilli album*, viride est primo, mox pallens, aut ex pallido rufescens, et demum in rubrum, ut cetera circiter genera, mutatur colorem. Quartum dictum *Chilcoztli* a colore, quo tingit, croceo quae ex eo parantur condimenta, et ab Hispanis Haitinam insulam occupantibus eadem ratione *Agi crocus*,

sex septemve digitos longum est, mediocriter tenue, interdum ex albo rubescens, interdum verò inclinans in passeum. Seritur Decembri et ab Augusto in finem usque totius anni fit vindemia. Quintum genus, *Tzinquauhyo*, quoniam montanum est, vocatum, ab Haitinis verò *Corallum* ob similitudinem formae et coloris, gracile est, et quinque digitos longum. Seritur Martio, et totius anni discursu proveniens legitur. Sextum *Texochilli*, seu *Masseum* vocatum a mollitudine, longum est, amplum, particeps dulcedinis, rubri coloris, atque adeo miti acrimonia, ut cum *Tlaolli* seu placentis ex Indico Frumento paratis mandi consuescat, multique et optimi existimetur ab Indis esse nutrimenti. Idem genus, cum fumo expositum siccatur, ut in annuos usus recondi commodè possit, alioqui corruptioni valde obnoxium ob nimium humorem excrementitium, quo redundat, *Pocchilli* dicitur, totoque anno et seritur et fert fructum. Est et aliud *Milchilli* dictum haud minus praecedenti, sed in acutum tenuemque sensim desinens mucronem, tandem quoque rubescens, nec ob aliud ita apellatum, quàm quòd quo tempore *Tlaolli* et seritur et metitur, et seri soleat et lectum recondi. Quid memorem alias species Haitinis peculiares, inter quas ea occurrit Hispanis etiam nota, quae fructum fert Halicacabi fructui cerasisque dulcibus nostratibus forma, colore et magnitu-

dine persimilem, Arbusto modico innascentem; alias praeterea duas, quarum alteram *rostrum strobili* hodie vocant indigenae, alteram verò *passeris*, utramque ob similitudinem; item *Maboyamboniatam*, *Corniculatam*, *Cacicam*, *Hortensem*, et ceteras quarum Historia, quoniam majoris est operae, quàm usus, timeo ne sit lectoribus ingrata, atque molesta. Tam calidis quàm frigidis temperatisve regionibus genera omnia proveniunt, sed foecundius temperatis aut calidis.

CAPUT CLIV.

De CHILTEPITON.

Caules mittit CHILTEPITON, seu *Chilli parvum*, anserinam pennam crassos, ex radice fibrata et longa: et in eis folia Ocymi, circinata et tendentia in acumen: florem fructumque Ricino similem, racematim dependentem. Ad temperiem videtur attinere, et glutinosam participare naturam. Succus foliorum putaminis ovi mensura infusus valet contra febrium frigora, et ventris aliorumque membrorum dolores. Mirum est Indos asserere, majori mensura non sine vitae periculo offerri.

CAPUT CLV.

De ATLANQUAUHTLI, *seu Aquila aquae.*

Arbor est ATLANQUAUHTLI foliis oleagineis, brevioribus

tamen, et mucronatis, semine viridi, simili sinapino. Folia ejus frigida, humidaque et salivosa constant natura, ideoque illita corpori calorem febrilem sedant. Provenit in calidis *Mayanalanensibus* in jugis, et cacuminibus montium.

CAPUT CLVI.

De AXOCHIATL *Acatlicpacensi.*

Volubilis est AXOCHIATL *Acatlicpacensis* foliis Mori magnitudine, cordis figuram quadamtenus imitantibus, serratis, mollibus, et fibrata radice, unde funditur caulis teres, hirsutus, tenuisque et sarmentosus, ac flores albi. Infunditur ejus succus his qui urinae aut faecum detentione vexantur, flatumve aut dolorem ventris patiuntur. Odora planta est secundo calens exsiccansque ordine, et subtilium partium: haec cum primùm ori admovetur, alterius Sisymbrii saporem refert, ac demum quamdam ostendit amaritudinem. Provenit in calidis regionibus.

CAPUT CLVII.

De AXOCHIATL *Xantetelci.*

Radice firmatur fibrata AXOCHIATL *Xantetelci*, unde proferuntur caules teretes, tenuesque, et nonnihil purpurei, sex prolixi spithamas: flores in corymbi formam compositi, extra coccinei, intus verò pallescentes: folia lon-

ga et angusta, Salignis proxima, sed tamen latiora. Amara nonnihil est, et calida acrique natura, quamobrem indigenae adversùs febrium horrores ea uti solent.

CAPUT CLVIII.

De AYACACHTECOMATL, *seu Tecomalt sonalis.*

Arbor est magna, montanis locis aridisque magna ex parte proveniens, ac ferventium regionum alumna: foliis oleagineis, sed in crucis formam compositis, orbicularibus, pomo malicotonei forma, sed ampliori, trunco stipitibusque, velut evenit Sycomoro, adhaerescente, et densa quadam medulla, initio candida, ac postea nigra, et simillima Cassiae fistularis vocatae, referto; qua extracta gumi, oleis, aliisque rebus servandis, parandisque sonalibus apud Indos passim inservire solet, unde contigit ei nomen. Folia frigida sunt, adstrigentiaque et aliquantulùm glutinosa, quo fit ut diarrhoeas sistant, capillos fluentes coërceant, faciantque renasci novos. Fructus ejus medetur herniae inguinum, si ejus medietas ad ignem excalefacta affecto loco alligetur, atque imponatur. Est et aliud genus *Quauhtecomatl* nuncupatum, longè majori pomo, ac nostratibus melopeponibus pari, medullaque referto nigra, Cassiae nostrae fistulari odore, aspectu, semine, sapore et lenitione, si devoretur, persimili: foliis veró longis et angustis, sed versùs mucronem sen-

sim dilatatis. Quin et duas alias species fructus tantùm firmitate differentes reperias, qui apud Indos magnopere rem vasariam exornant, qualis est *Tchcatecomatl* et *Tecomatl*, quae eisdem regionibus, quibus *Ayacachtecomatl*, provenire solent.

CAPUT CLIX.

De YETECOMAPATLI, *seu medicina Tecomatl Tabaci.*

YETECOMAPATLI, quam alii *Patlahoacxihuitl* seu *latam medicinam* vocant, alii verò *Acapaxihuitl* a plausu, herba est excelsa, radici crassae et fibratae innixa, ex qua fundit caules cavos, rotundos, laeves, naevis distinctos, ac per intervalla geniculatos: folia e nodis prodeuntia ac foliatis, pennatisve appensa geniculis, et flores in summis caulibus racematim dependentes modicos et purpureos. Gustu est acris, et tertio calefaciens exsiccansque ordine. Jure decocti illinunt Indi perfrigeratos, aut vehementes dolores sentientes: tumores pannosque discutit, maturatve, ac aperit, quod etiam bibendum exhibent his, qui febres punctis comitatas patiuntur, asserentes evocato sudore, et humoribus ad cutim pulsis statim liberari. Scabiem quoque et vetustas plagas apposita curat, aliisque permultis subvenit morbis, quibus medicamenta simili praedita temperie, subtilibusque partibus, opem ferre solent. Nascitur

in montibus *Tepoztlanicis* et *Malinalci*, aliisque calidis regionibus.

CAPUT CLX.

De altera YETECOMAPATLI.

Herba est folia producens vocatae Nummulariae obrotunda, firmaque, in caulibus per terram serpentibus, tenuibus et teretibus, ac florem, ut referunt, nullum. Tusa ex aqua epotaque matutino splenem minuit, si quoties opus sit, e liquore aliquo aperienti bibatur. Provenit *Xonotlae* quibusque locis.

CAPUT CLXI.

De TECOMATLAPANA, *seu frangente Tecomatl.*

Radicibus innititur surculosis, unde caules fundit sex spithamas longos, folia angusta et prolixa, florem longum et rubeum, vasculaque semine referta. Odoris et saporis insignis expers est, frigidaeque et siccae naturae; quamobrem tusa folia illitaque febres dicuntur exstinguere. Provenit in collibus calidarum regionum.

CAPUT CLXII.

De TECOMAXOCHITL, *seu flore Tecomatl.*

Arbor est TECOMAXOCHITL, quam Mechoacanenses *Ytzuquatzitziquì* seu *pabuli florem* vocant, vasta, foliis Mali

Medicae, oblongis, floribus magnis, extra luteis, intus purpureis, unde prodeunt capillamenta quaedam candida. Est et aliud genus flores ferens omnino luteos, et minora folia, sed acuminata. Utraque calefacit secundo ordine, tusa verò folia et applicata levant capitis dolorem; et tumores, praecipuè a casu aut ictu excitatos, cum resina discutiunt: flores olent Lilium, et habentur ab heroibus Indorum in magno pretio, nec minori cura seruntur atque excoluntur in viridariis eorum. Nascitur in calidis irriguisque locis, temperatisve. Provenit apud *Acuitlapanenses* genus aliud hujus arboris, *Texcaltecomaxochitl*, quod nascatur inter saxa, vocatum, simili paene forma, cujus cortex, qui amarus est, calidaque et salivosa natura, pectori admotus asthmati dicitur mederi.

CAPUT CLXIII.

De tertia TECOMAXOCHITL.

Arbor est Malo Medicae par, stipites proferens lenta refertos medulla, folia subalbicantia, Spinaciae vocatae proxima, e pediculis longis, flores pallentes, parvos, vasculis oblongis contentos prope ramos extremos. Secundo ferè ordine calefacit, ac Raphani saporem odoremque refert. Folia resoluta ex aqua illitaque dolores leniunt. Nascitur magna ex parte in frigidis regionibus.

CAPUT CLXIV.

De TLALTECOMAXOCHITL, *seu Tecomaxochitl humili.*

Radicem fundit TLALTECOMAXOCHITL Batatae vocatae similem, ex albo intrinsecùs paulisper pallescentem: caules purpureos, folia serrata, quinque divisuris insignia: flores, ut ferunt, rubescentes. Radix est calida siccaque ordine secundo, odora et adstringens. Eadem tusa discutit praeter naturam tumores. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci*, campestribus planis, et sabulosis locis.

CAPUT CLXV.

De TZICATZONTECOMATL, *seu capite formicae.*

Radices fundit TZICATZONTECOMATL, quam alii a sistendis dysenteriis *Tlaelpatli* appellant, tenues, et longas, fulvasque, et fibratas: caules tenues: folia Lini exilia, per intervalla agminatim exorientia, juxta quaedam velut verticilla ad foliorum exortus prodeuntia florum vice, quae lutea sunt. Radix est dulcis, glutinans lancinansque, folia verò frigida et glutinosa. Haec laevigata inspersaque inveteratis medentur plagis. Jus decocti exhibetur enixis ac passis lassitudinem corroborationis gratia, talis enim est Indorum mos. Sunt qui dicant pediculos illitam perdere. Provenit *Tlalticapani.* Est et alia huic similis planta, *Temaco-*

zahuilia, seu *tingens pallido colore manus* ab effectu vocata, necnon et alia eodem nomine et effectu scoparum vicem praestans et flavificans capillos; de quibus suis in locis dicetur.

CAPUT CLXVI.

De TZICATZONTECOMAHUITZTLI, *seu capite formicae spinoso.*

Radicem fundit Raphano similem, et fulvam, sed minimum tantùm digitum crassam, intus candentem, extra verò verrucis quibusdam refertam, unde prodeunt caules valde exiles, teretes, et in rubeum inclinantes colorem atque Ericae folia. Radix devorata a recenter enixis salutem et vigorem eis conciliat, ut Indi testantur, cum frigida et adstringenti natura constet. Provenit in calidis regionibus *Oapanensibus* in collibus ac cacuminibus montium.

CAPUT CLXVII.

De TEQUANTZONTECOMATL, *seu capite ferae.*

Radice firmatur obrotunda et tenera, quae in luteum colorem ex albo inclinat, magna, dulci, plena succo, frigida humentique, et grati saporis. Folia sunt in duos sinus ac tres divisa cuspides. Radices febres, et quamcumque calidam intemperiem sedant, seu devorentur, sive illi-

nantur. Sunt qui vocent *Tequancamotl* seu *Batatam ferae.* Provenit *Quauhquechullae.*

CAPUT CLXVIII.

De TZOPILOTLTZONTECOMATL, *seu capite aurae.*

TZOPILOTLTZONTECOMATL, seu *Tzopilotl*, Arbor est magna, folia ferens longa et angusta, fructum magnum et oblongum, nucleos quosdam planos includentem, amaros, pectori amicos, ac referentes amygdalarum amararum saporem, etsi demum moschi odorem relinquant, et foetidum saporem. Calidi iidem sunt ordine ferè tertio, et oleagino quodam liquore, atque emolliente manantes. Demum vires olei amygdalarum amararum videntur referre, atque ita tumores praeter naturam discutiunt, tussi medentur, emolliunt pectus, infusi naribus caput expurgant, et ulceribus conferunt. Quin oleum expressum hujusce fructus faciem feminarum emollit et extergit. Provenit *Hoitzoci* ubique, sed praecipuè in collibus.

CAPUT CLXIX.

De HOEHOETZONTECOMATL.

HOEHOETZONTECOMATL, seu *Caput senis*, quam alii *Zazanacxochitl*, *Temiltzincenses* verò *Tacanextòn*, seu *Cuspidem cineream* vocant, volubilis est genus, radices fundens

numerosas, orbiculares, mediocres, et funiculis per intervalla appensas, intus extraque asperas et fuscas, *Tecompatli* similes: folia ampla, cordis figura, ac florem coccineum, longum et fistularem, ac acervatim dependentem. Radix frigida humidaque constat natura, editurque elixa, refrigerat verò atque roborat. Olet sapitque liquorem stillatitium florum Mali Medicae. Illinitur praeter naturam tumoribus. Insignis planta est et grato gustu exhibetur febrientibus, atque ita febrilem calorem compescit. Indis erat olim mos impartiendi illam natis, sed ea lege ut totam non absumerent, sed portionem aliquam intactam relinquerent, persuasum habentes eos qui illam ingererent totam, obituros nondum assecutos senectam; quamobrem impositum est illi *Hoehoetzontecomatl* nomen, quamvis aliis, ut diximus, *Zazanacxochitl* dicta sit. Nascitur in planis et campestribus locis *Tehoiztlae.*

CAPUT CLXX.

De AXILOXOCHITL, *seu Xiloxochitl aquatili.*

Vasta arbos est AXILOXOCHITL, stipites fundens ramosque virore exsaturato tinctos, punctis tamen distinctos candidis et tuberosis, folia octona per singulos ramos extremos, flores initio quibusdam velut cupulis glandium inclusos, coccineos ac candidos, et tandem, ut crines, spar-

sos ac divisos, fructum melopeponis mediocris magnitudine, cordis figura, sed fulvo colore, refertum inaequalibus candidisque segmentis, sed artifici quadam junctura inter se cohaerescentibus atque compositis. Cortex arboris foliaque frigida ac glutinosa natura constant, velut et pomorum quoque pelles tegminave. At quae intra continentur, adstringentia sunt frigefacienteque facultate praedita, ex qua temperie adversùs quae aegritudinum genera praestare suppetias possit, queas facilè conjicere. Provenit regionibus calidis, qualis est *Hoaxtepecensis* juxta flumina et aquarum fluenta.

CAPUT CLXXI.

De *QUAUHXILOTL.*

Arbor est magna, proveniens in calidis *Tautepecensibus* QUAUHXILOTL, seu *arbor ferens fructum similem spicae Maizii* juxta aquarum decursus: foliis ternis, Ocyminis proximis, sed majoribus, et latioribus, spinulis undique horrentibus, candentibus floribus calycum figura, fructu cucumeris falcati forma, viridis coloris, sed in luteum vergentis, striato, eduli crudo coctove, praedulci et zibethum vocatum mira similitudine olente, quamquam facilè is odor evanescat, nec persistat diutius. Jus decocti foliorum medetur surditati e frigore provenienti instillatum auribus. Calida enim siccaque ordine primo est natura. Vidi aliam

arborem eodem nomine, fructu et viribus, sed spinis carentem, foliis serratis, pennatisque ramulis, seu differant specie, seu ea diversitas soli tantùm aut aetatis ratione consurgat.

CAPUT CLXXII.

De QUAUHXILOTL altera, quam Platanum alii vocant.

Arbor est mediocris, familiaris calidis regionibus hujus Novae Hispaniae, vocata a quibusdam recentiorum *Musa*. Folia sunt valde longa et lata, adeo ut hominis superent saepenumero magnitudinem : fructus racematim dependent incredibili numero et magnitudine, cucumerum crassorum et brevium forma, dulces, molles, atque temperiei proximi, nec ingrati nutrimenti. Eduntur hi crudi, assive ex vino, atque ita sunt gustui jucundiores. Differt fructus magnitudine, et quò minores sunt, eò salubriores et suaviores. Advenam esse ajunt huic Novae Hispaniae atque translatam ab Aethiopibus aut Orientalibus Indis, quorum est alumna. Caulis et radix, quae fibrata est, multis constant membranis, saporis expertibus et odoris, lubricis et frigescentibus, ex quo facilè quis conjiciat, quibus morbis possint esse utiles.

CAPUT CLXXIII.

De TLALXILOTL, *seu spica humili.*

Herba est Orobanchae ferè similis, adeoque ejus speCies, onusta floribus cyaneis, densis, cauliculis appendentibus, ac caulem medium undique circumdantibus. Moschum mirè olet, dulcis est, edulis et valde frigida natura. Exhibetur infantibus, cum os ob nimium calorem malè habet. Nascitur in montibus *Tauhtepecensibus*, adhaerescit attrectantium manibus lubrica quadam natura, et quamvis praefractus cauliculus candens e vestigio appareat, dicto tamen citiùs pallescit.

CAPUT CLXXIV.

De XILOXOCHITL.

XILOXOCHITL, seu *flos capillaceus*, arbor est visendae pulchritudinis et naturae, flores coccineos, et in capillamentorum formam aptè compositos ante exortum foliorum, quae obrotunda, virescentia et quina sunt, proferens, e quibusdam velut glandibus pullulantes, quamquam sunt quae candentes proferant. Cortex radicis laevigatus ex aqua ulceribus gingivarum, dentium dolori, ac defluxui opitulatur, urinam ex aqua assumtus educit, renes et vesicam a sanie et quibusvis aliis obstruentibus excrementis emundat atque

abstergit, et praecipuè si pulvis *Xoxocoyoltzin* peni immittatur. Est autem salivosae et frigefacientis temperiei, saporisque et odoris ferè nullius. Provenit in calidis *Quauhcocolani*, multisque aliis ejusdem temperiei locis. Sunt et aliae species hujus plantae, quas quoniam eadem paene forma et virtute constant, non curavi seorsim aut depingendas aut describendas.

CAPUT CLXXV.

De TLACOXILOXOCHITL.

TLACOXILOXOCHITL, quem alii etiam *Xiloxochitl*, alii verò *Tentzonxochitl* seu *florem barbatum* vocant, frutex est foliis *Mizquilt*, floribus comantibus, capillis longis et coccineis similibus, prodeuntibus ab acinis orbicularibus et rubescentibus, radice fibrata, extra fulva, et intus cum secatur, rubra, rubris stipitibus, et fulvis siliquis. Cortex radicis siccus et adstringens est, et nonnihil glutinosus, calidaque ordine tertio constat natura et sapore acri. Radicis pulvis naribus injectus aut instillatus ex aqua dolores dentium sedat, tusi flores, immisti aquae et instillati, oculorum morbis mirè opitulantur, nam inflammationes cohibent, adnascentem carnem absumunt, et discutiunt argemata. Radicis quoque decocti epotum jus aut infusum sistit fluentem alvum et prodest dysentericis, sopitam appetentiam

excitat et satietati medetur. Sunt etiam qui adjiciant praedictis pectus lenire, alvum solvere, bilim vacuare per superiora, et tussientibus quoque esse remedio, vocarique a quibusdam *Tlamacazcatlacotl*, et ab aliis *Tepexiloxochitl* et *Tlalxiloxochitl.* Nascitur in planis montosisque locis, et interdum juxta aquarum fluenta. *Axuchitlanenses Huitzcolotl* vocant, ajuntque folia tacta statim marcescere, radicem verò epotam sterilitatem facere.

CAPUT CLXXVI.

De XILOPATLI, *seu medicina comata.*

Radicem fundit XILOPATLI magnam, caules sesquispithamaeos, Ocymi folia, sed longiora, flores purpurascentes ex albo, ex quibus generantur siliquae tenues, digitalis longitudinis, ac refertae semine, Sinapi simili fulvoque, sed aliquantò crassiore. Folia tusa adque admota ventriculum imbecillem, nec probè alimenta concoquentem corroborant et obstructiones reserant. Calidis quippe pollent viribus, et quibusdam partibus tenuibus, amaroque sapore.

CAPUT CLXXVII.

De ATLACHICHINOA *Ytztlanensi, seu Tlachichinoa aquatili.*

Radicibus firmatur capillis similibus, unde prodeunt caules ulnam longi, quadratique, oblonga folia, et pro

fructu erinacei in summis caulium partibus. Frigida humentique natura viget, et contra febres, quas comitantur puncta, haud mediocris reperitur esse usus. Nascitur apud *Ytztlanences*, unde cognomen.

CAPUT CLXXVIII.

De AOACHCUETON, *seu planta rorida.*

Herbula est tota exilis, caules proferens geniculatos e radicibus capillorum instar, folia cordis figura, sed nimiùm dilatatis lateribus, floribus multis in capillorum modum, universam ferè occupantibus plantam. Frigida humidaque est natura, et lubricitatis particeps. Admovetur tumoribus praeter naturam, videturque ad Alsines genera pertinere. Nascitur in vallibus humectisve quibusque locis.

CAPUT CLXXIX.

De AALACTON, *seu herba lubrica.*

Aalacton, quam alii *Tlallaala*, seu *Malvam* vocant, herba est Hibisco forma et natura similis, et ideo pro eo in myropoliis hujus Novae Hispaniae passim substituta. Est enim sine dubio ad Malvarum genus referenda. Nam et ea elixa quotidie ferè utor ad acrimoniam urinae compescendam, et radicis jure decocti, loco aquae fontanae, magna cum utilitate et successu felici. Duas verò habet dif-

ferentias, quarum altera capitula fundit Stoechadis capitulis similia, sed flosculis ornata ex albo rubescentibus, folia magis sinuosa et acuminata, et unicam atque fibratam radicem.

CAPUT CLXXX.

De AMAMAXTLA expurgante, seu Rhabarbaro vocato monachorum.

Radix hujus plantae adeo sapore, colore, et odore, substantia et viribus radicem veri Rhabarbari repraesentat, imitaturque, ut nisi foliis ab illo distaret, quae desinunt in acumen (nam illa ex angusta origine in latius finire cernuntur) verum Rhabarbarum Alexandrinum a nullo, qui utramque plantam expendisset, non judicaretur: quamobrem hortensem Hippolapathum congenerem esse vero Rhabarbaro censemus, posseque in ejus penuria substitui, ac pares paene vices praestare; bilem enim benignè, et cum quadam roboratione, quae a crassioribus et adstringentibus accidit partibus, praecipuè vacuat felici successu, quemadmodum nos sumus apud Hispanos periclitati ante hos triginta plus minus annos, et Mexici, ubi magnus est ejus proventus diligentia Bernardini Castillii, cujus optimis manibus hic honos debetur, viri, dum juvenis esset, in propugnandis hostibus dexterrimi atque animosi, a primo verò senio adusque obitum et postremos halitus in se-

minandis atque excolendis quibusque raris et peregrinis plantis diligentissimi. Quoniam verò partibus constat subtilioribus, quae sunt expurgantes, aliis verò crassis atque adstringentibus; consuevere Indi succo expresso, velut expurgante pharmaco, drachmae unius cum dimidia pondere uti, faecibus autem eadem mensura velut alvum adstringenti medicina; quod si cum totalitate sua exhibere arrisserit duarum drachmarum portionem, ab his, qui non difficile solvuntur, bilis, ajunt, quod satis sit, expurgari, cujus rei nos certissima fecimus experimenta. Miscetur interdum unica drachma succi unciis duabus electarii ex tenerrimis Cassiae nigrae fistulis confecti, atque ita bilim primò et maximè, secundariò verò pituitam expurgat. Quibusvis locis provenit excultum, sed praesertim calidioribus, qualis est *Quauhnahuacensis*, humecto et fertili solo. Post quaternos a satu annos radix est medicinae utilis. Colligenda verò ineunte verè, mundanda, secanda in frusta, quae *Boletos* vocant, qua magnitudine illa Rhabarbari vulgaris ad nos consueverunt deferri ab ortu, super asseres collocanda ac saepe saepius quotidie, ne succus, quo abundant, effluat, evertenda. Quatriduo transacto, filo trajicientur firmiore, ac suspendentur ad umbram locis aptis, sed quos radii solis non attingant, namque ita duorum mensium intervallo siccari abunde solent, demumque recondi et servari. Haec

mihi de Rhabarbaro monachorum vocato dicta sunto, non quòd nesciam apud Hispanos quoque hanc plantam aliquot oppidis non admodum a Mantua Carpetana distantibus aliquando fuisse excultam; sed quoniam in hac Nova Hispania apud *Quauhnahoacenses* in horto praedicti viri uberrimus est ejus proventus, ubi patriis plantis vel eò maximè opus est, quòd medicamenta extera, in hunc orbem per tot maria translata, emarcida vitiataque tandem accedant, et ut Hispani meminerint, apud eos, si cura adsit, quanta libeat copia proventuram, ac in optimi Rhabarbari penuria permittentibus consciisque medicis suffici pro eo saepenumero non incommodè posse. Ceterum fabulae, quas quidam inculcant, ut persuadeant Rhabarbarum hoc monachorum vocatum esse Alexandrinum, dicentes Turcas, cum illis per Henricum Galliae Regem Massiliae portu et urbe potiri licuisset, Gallicis quibusdam Monachis semen impertitos veri Rhabarbari, unde nomen defluxit, atque inde devectum ad Hispanias et has Indias, nugae sunt, quibus sit omnino deneganda fides.

CAPUT CLXXXI.

De ALOE *Tacapichtlensi.*

Cum essem ad *Tacapichtlenses* herbarum describendarum gratia; allatam ad me memini ex vicis circumvici-

nis speciem quamdam Aloes peregrinam, foliis angustioribus ac crassioribus vulgari, tenerrimis, ac lubrico succo manantibus, adversùs erysipelata et impetigines egregium medicamentum. Quam etsi depingendam tunc temporis non curaverim, quòd nostrati censuerim aut eamdem aut valde congenerem, nunc tamen describendam duxi, tum quòd alteram fortassis facultatibus excedit medicis, tum ut summus Deus in ea etiam differentia *Aloes* exaltetur, qui tot rerum species, et ubi minus quandoque sperabantur, in hanc mundanam fabricam et commune orbis theatrum dignatus est transferre et inducere. Indigenae *Tlailochtiam*, seu *repellentem medicinam* vocant.

CAPUT CLXXXII.

De ATOLLACOTL.

Arbor est magna, ulmeis foliis, sed majoribus. Cortex redactus in pulverem, et haustus ex aqua calorem ventris sedat, et tamen olet sapitque *Axocopaconi*, et nonnullum participat calorem. Provenit *Quauhquechulae.*

CAPUT CLXXXIII.

De ATLATLACOQUILTIC.

Atlatlacoquiltic, seu *olus aquae fruticosum*, radice firmatur capillata, unde profert caules quatuor spithamas

longos, fragiles, subalbidos, multos ac tenues: et in eis folia longa, angusta, serrata, angulosa, squallida, hirta, interveniisque secundùm longitudinem discurrentibus: flores abeuntes in pappos et subalbescentes. Radices Pastinacam sapiunt, eodemque sentiuntur temperamento, et tamen adversùs febres dicuntur valere. Provenit *Ocopetlayucae*.

CAPUT CLXXXIV.

De AHOYACPATLI *Tepexicensi.*

Herbula est AHOYACPATLI, vel *suavis medicina*, radici innixa velut e globulis precariis vocatis concinnatae, extra fulvae et intra candenti, unde profert caules: et in eis folia Origani, minora tamen, et circinata. Radices dulci sapore sunt praeditae, lacte manantes, frigidaeque et humidae temperiei. Sedant febres, et cordis affectionibus a calore ortis medentur. Sunt qui adjiciant *Cacaoatl*, *Hueinacaztli*, *Toloxochitl*, et *Tlilxochitl*, atque ita testentur matutino devoratas, quae diximus, praestare efficaciùs. Nascitur *Tepexici*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXV.

De altera AHOYACPATLI *Tonalanensi.*

Herba est radicem fundens Paeoniae similem, sed aliquantò longiorem, folia Unedonis angustiora, ac diluti vi-

roris : flores purpureos, et siliquas parvas, teretes, refertas semine. Radix est dulcis, Glycyrrhizae sapore ac caloris temperati. Eadem dicitur trita ac semiunciae pondere ex aqua devorata alvi succurrere doloribus. Nascitur in jugis calentibus *Tonallae*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXVI.

De AYOPATLI, *seu medicamento cucurbitino Atoyacensi.*

Herba est magnae innixa radici, et surculosae, unde prodeunt caules teretes: et in eis folia Limoniae Mali, flores verò candidi atque exiles. Radix est amara, et ordine tertio calefaciens et exsiccans. Eadem in pulverem redacta solet ex aqua potari adversùs dolorem intestinorum, et ad interficiendas pellendasque ventris tineas. Nascitur in jugis calentibus *Atoyaque*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXVII.

De ALACPATLI, *seu lubrica medicina.*

Herba est ALACPATLI radicem agens tenuem, contortam et longiusculam, unde profert caules tenues, teretes ac dodrantem longos: et in eis folia Ocymi, serrata, viridem florem, ac fructum rubeum, Coriandro similem. Radix virus effundit Paeoniae, calidaque est ordine primo aut ferè secundo natura. Succus semiunciae pondere haustus se-

men retentum pellit. Nascitur in frigidis, editis, campestribusque oppidi *Tepozculullae*, quod est *Mistecae* superioris, locis.

CAPUT CLXXXVIII.

De *AXIXCOZAHUILIZPATLI.*

Herba est illa, quam recentiores *Galegam* vocant, aut illi forma et facultatibus similis, quamobrem non duxi depingendam. Radix frigida natura, temperatave et adstringenti constat, appetentiam excitat, vomitum coërcet, et ventri auxiliatur. Nascitur in frigidis collibus *Tepozculullae*, *Mistecae* superioris.

CAPUT CLXXXIX.

De *AXIXPATLI Tepozculullae.*

Radici insistit fibratae, unde prodeunt caules quatuor dodrantes longi, teretes, subalbidi, tenuesque, hirsuti, argentei: et in eis folia parvula ejusdem coloris, longiuscula et angusta, leguminis forma, floresque in summis caulibus Alopecuro similes. Folia sunt dulcia cum quadam amaritudine, et moderatè calida. Urinam retentam dicuntur pellere eadem semiunciae pondere epota mane ac vesperi. Nascitur in calidis locis, sive edita sint, sive campestria, *Tepozculullae*, quod est *Mistecae* superioris.

CAPUT CXC.

De ATONAHUIZPATLI *Tepuzculullae.*

Frutex est radices agens surculosas, unde profert stipites teretes, quatuor dodrantes longos lignososque: et in eis folia Ocymi, minora tamen et crenata, ac flores candentes. Radix est amara, tenuium partium, calidaque et sicca quarto ordine temperie. Folia apposita tumores praeter naturam discutiunt, epota verò ex aqua unciae unius pondere febrium intermittentium pellunt frigora. Provenit *Tepuzculullae*, oppidi *Mistecae* superioris.

CAPUT CXCI.

De altera TEPUZCULULLAE *Atonahuizpatli.*

Radicibus insistit parvis, fibris similibus, *altera Atonahuizpatli*, nempe Ophioglossi nostratis species, unde prodeunt bini ternive caules, dodrantem longi, teretes, ac unicum in quovis cauliculo tantùm folium, quod velut perforat inferna parte caulis: fructus verò in cacumine piperi longo similis, sed tenuior, ac brevior. Radices sunt frigidae, glutinosaeque, et expertes odoris ac saporis. Folia tusa tria, quatuorve et ex aqua devorata febribus medentur, et adstringunt laxa. Nascitur clementi caelo juxta loca lacustria *Tepuzculullae*, *Mistecae* superioris.

CAPUT CXCII.

De tertia ATONAHUIZPATLI *Tepuzculullae.*

Radicibus insistit ATONAHUIZPATLI *tertia Tepuzculullae*, quam alii *Oquechpatli* vocant, piperi nigro similibus, paulò tamen amplioribus, et tectis parvis capillis, unde proferuntur terni pediculi, quorum singulis parte suprema appendet folium unicum, orbiculare, parvum, Fungo aut Umbilico Veneris simile, unicusque caulis dodrantem longus cum fructu piperi longo quàm simillimo, sed longiori ac tenuiori. Radices sunt odorae, gustu acres, et quanto ordine calentes siccaeque et tenuium partium. Frigora febrium eaedem profligant, epotae venerem excitant, perfrigeratis medentur, aliaque juvamenta solent praestare, quae ex hujusmodi temperie proficiscuntur. Nascitur clementi caelo, lacustribusque locis, *Mistecae* superioris.

CAPUT CXCIII.

De ATONAHUIZPATLI *quarta Atoyaquensi.*

Radici insistit lignosae, tenui, fibratae ac longiusculae, unde prodeunt caules multi, teretes, breves, lignosi ac longi quinque uncias: et in eis foliola hirsuta, subalbida, oblonga, serrata et pinguia. Chamaedryos similis est, et flosculi per singulos foliorum exortus parvi et coccinei, fo-

lia sunt odora, gustu acria, calidaque et sicca ordine tertio, et semiputria melimela redolentia. Febrium medentur horroribus tusa, et epota ex aqua. Nascitur in culminibus montium calidarum regionum *Atoyaque*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCIV.

De *ATONÀHUIZPATLI quinta Atoyaquensi.*

Radici insistit fibratae, unde profert caules tenues: et in eis folia serrata, parvaque, et Origani foliis non multò majora, adeoque Menthae similia. Radix frigida temperie constat et sapore nullo. Febribus dicitur adversari. Nascitur in collibus regionum calidarum, quale est oppidum *Atoyaque*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCV.

De *ATONAHUIZPATLI sexta.*

Arbuscula est Loti urbanae foliis, eodemque modo ternis, calidaque et sicca ordine tertio. Coriandrum indistincta similitudine sapit et olet, acris est, et accessionum medetur horroribus. Provenit apud *Mistecam* inferiorem.

CAPUT CXCVI.

De *AYOHUACHPACHTLI, seu medicina nuclei.*

Herba est radice firmata surculosa, unde profert cau-

les tenues, teretesque ac fulvos: et in eis folia *Capollin*, sed tamen majora et minutim serrata, ac florem nullum. Frigida videtur siccaque, et ingratum virus olens. Cortex radicis tritus, ac semiunciae pondere devoratus semel die post assumtum jam nutrimentum lumbricos pellit. Nascitur locis editis, clementi et benigno caelo, quale est *Atoyaquense* in *Misteca* inferiori.

CAPUT CXCVII.

De ACATEPOCAPATLI, *seu medicina gerinωn arundinis Mistecae inferioris.*

Arbor est foliis paene orbicularibus, serratisque et magna ex parte ternis, et flore longo et candenti. Lac ejus cortexque admovetur pannis, qui jam saniem concepere, apertique sunt, necnon lichenibus et ceteris cutis infectionibus. Radix tamen, quae crasso cortice operitur, adstringens est, frigidaque et sicca natura. Nascitur agris *Atoyacensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCVIII.

De ANANANCA *arbore.*

Arbor est ANANANCA mediocris, foliis stipata laurinis, amplissimo fructu, et capite humano duplo majore, pineae nucis figura, sed squamis exilioribus, et paulò cras-

sioribus illis galei pellis, includente quasdam castaneas, dactylis paene similes, sed tamen ampliores, tectas luteo, et crassiusculo callo, melonis optimi odore et sapore, neque ingrato nutrimento, sed flatuoso et crudo, quali et ipsae constant castaneae, quae sapore sunt nostratibus simili: fructus stipitibus majoribus adhaeret. Video tres alios fructus squamifero et pineis nucibus simili cortice tegi, quales sunt Indi Doriones, Guanabani Haitini, quos Mexicenses *Illamatzapotl* vocant, et Haitinae *Anonae*, quas iidem Mexicani *Quauhtzapotl* nuncupant, seu congeneres sint, seu diversi, sed de eis suis in locis dicetur. Nascitur in campestribus et humidis locis Philippicarum Insularum.

CAPUT CXCIX.

De ADGAO *arbore.*

Arbuscula est ramosa, folia ferens forma et magnitudine foliis Nucis Juglandis similia, sed molliora et odoratiora, ac stipitem cinereum. Inserviunt folia balneis atque lotionibus venenatorum ictuum et pharmacorum vim hebetantibus atque discutientibus. Ventriculum firmant, appetentiam excitant, alvi dolorem placant, et veteribus plagis exsiccatione et extersione insigni medentur: tuberculaque, et parvas inflammationes dissipant. Provenit in Insulis Philippicis *Chinae* juxta maris stationes.

CAPUT CC.

De ANCOAS, *seu Zingibere masculo.*

Foliis constat asperioribus et crassioribus vulgari *Zingibere*, eadem tamen forma, radice quoque majore, atque crassiore, et sapore acriore cum quadam amaritudine. Utuntur eo indigenae adversùs ventriculi et alvi affectiones, ortas e frigore contuso, et oleo nucis indicae consperso, atque ita applicato; necnon adversùs plagas venenatas, ellychnio intincto eodem oleo, atque ita demum adacto. Addunt vim medicamenti majorem participare marem, quàm feminam; quo etiam vina quaedam ab Indis Philippicarum Insularum parari solent, quae non erit incommodum modo referre. Excipiunt siquidem succi *Zingiberis* feminae partes quatuor, masculi partem unam, duas verò arundinum Sacchari, et nonnihil radicis *Tanglat*, de qua suo loco, Ocymique, aut aliarum odoriferarum herbarum, si quae fortè suppetant, piperis vulgaris grana quinquaginta, Cassiae partes duas, *Rizi chenicem* unum: ex hisque omnibus efformant massam, quam coactam in placentas siccant ad umbram, quaterno, quinove dierum spatio; mox soli totidem lucibus exponunt, postea verò recondunt in locum fumosum ad usus quoties expediat accommodandas: quo enim antiquiores, aptiores existimantur.

Quo tempore accipiunt medimnum unum *Rizi*, Miliive, aut per horum caritatem seminis vocatae *Boronae*, coquuntque ex aquae portione sufficienti, donec omnis humor exhauriatur abeatque in vaporem. Mox aëri exponunt et permittunt refrigescere, miscentque placentae unius partes tres, quam vocant indigenae *Tapai*, laevigatas, reconduntque in cadum haud omninò plenum, sed inanem quatuor plùs minùs unciarum intervallo, ibique ore patulo manere permittunt, donec vigorem concipiat: mox foliis tegunt Platanorum et *Camotli*, atque ita triduo sinunt manere; quo tempore partem inanem cinereo implent luto, ac desuper eisdem contegunt foliis, atque ita servant, usque in sesquiannum, etsi vel octo transactis diebus fiat utile, possitque non injucundè potari; in quo exhauriendo hic est modus. Extergunt impositos cineres, et constipant herba praedensa cadorum ora, implentque cavitatem aqua, atque ita demum siphonibus sugentes potant liberaliter. Infunditur autem tantum aquae quantum vini exhaustum est, donec vires fiant imbecilliores. Conveniunt ad dolium unum exsiccandum saepenumero Indi centum, cunctique solent inde ebrii discedere, quod mirum est, cum magna ex parte sexies dolium coronetur aqua, quod eadem die qua detegitur, prorsùs absumitur, neque durat diutius. Optimum dicitur esse id potionis genus et salubre, cetera-

que vinorum harum Insularum genera excepto nostrate superare.

CAPUT CCI.

De ABACA.

Platani genus est Abaca similis ceteris, angustioribus tamen foliis, fructu triangulari, decem uncias longo, candido callo ac nucleis multis et nigris, cicere paulò minoribus, mollioribusque, et orbicularibus. Ex quo Platani genere lintea conficiuntur. Nascitur in Insulis Philippicis Sines, ubi et aliud genus quoque provenit fulvo maculatum colore, fructuque parvo et tenui, in tres divisum differentias praecipuas, *Tolocdato*, *Goyot*, et *Bolongon* vocatas, praeter alias nonnullas quas etsi nominibus minimè destitutas, nominatim piget recensere, fructu odoro, et oris halitum in multas horas commendante, saporis grati, ac nostris Apianis malis, si exquisitè maturuerint, minimè cedente, coloreque extra viridi, ac diversa magnitudine, temperata natura, aut paululùm frigenti, sed aliquantò humidiore. Flatum et pituitam generat, ventrem emollit, et oris commendat halitum. Quin post esum mos est indigenis, ab omni potionis genere, ne ob immodicum humorem putrescant, abstinere.

CAPUT CCII.

De AMUDIO.

Herba est palustri Apio magnitudine, foliis et semine similis, sed differens gustu, qui licèt initio Eleoselini sit, deinde Cumini potiùs videtur, mitis tamen, ac minimè horridus. Radix semenque obstructiones splenis aperiunt, discutiuntque ubilibet infarctos humores. Quin idem semen tusum, et ex vino devoratum dolorem ventriculi alvique a frigore ortum placat, jus decocti succurrit iliacis nephriticisque. Calore temperato constat, roborat ventriculum, Cumini loco ferculis additur, nec injucundè eo condiuntur. Provenit Philippicis Insulis longiùs a mari, temperatis locis neque admodum humentibus.

CAPUT CCIII.

De quibusdam aliis plantis, quarum enarratio videbatur ad hunc locum pertinere.

Cum nihil in his nostris Libris de Plantarum Historia describatur, quod propriis oculis non viderimus, ex gustuque, odore, et nostro aliorumque experimento non fuerit comprobatum; adjectae tamen sunt huic loco quinque aliae plantae Philippicarum Insularum alumnae ex testium oculatorum et fide dignissimorum testimonio, adjicerentur-

que aliae Indicae ex *Didaco Garcia ab Horto*, Goae agente, quae huic etiam conveniunt elemento, nisi *Ambari* historia notior esset his qui utriusque Oceani accolae sunt, quàm possit esse Goae habitatoribus, *Aloe* cunctis paene proveniret regionibus, neque ignotior esset Europaeis quàm Asiaticis, de *Altiit* aut Asa foetida, Lasereve, nobis in Hispania nota, adeo incertam traderet doctrinam, et de quorumdam tantùm hominum testimonio, quemadmodum et de Agallocho, de quo nihil firmum videtur asserere, praeterquam arborem esse Olivae forma, nascique apud Arabas, arborem *Anacardi* minimè describeret, sed tantùm referret viridem fructum Fabae similem esse, venire in nutrimenta salsum, et olearum supplere vicem, neque venenatum esse urentisve naturae nisi jam siccum et inveteratum, asthmatique ex sero esse utile. ¿Quid quòd de *Amomo* nihil paene definit, aut certi quidquam statuit, de *Ambare* fructu nihil praeterquam condiri eo fercula, acidaque et suavi constare natura; *Abacarum* fruticem esse Myrto et forma et facultate similem, sed magis adstringentem, ac dysentericis valde utilem, et de *Arbore tristi* noctu florere, ac florum stillatitium liquorem conferre oculis. Nam de *Anil*, Mexicanis *Xiuhquilitl* vocata, velut de planta apud eam gentem proveniente, in superioribus quantum sat fuit, loquuti sumus. Quae omnia aut perfun-

ctoriè ab eo auctore, ut dixi, et oscitanter tradita sunt, aut nota nostris, aut cassa, et nullius prope momenti.

CAPUT CCIV.

De AXIXCOZAHUIZPATLI *prima, seu medicina urinae lutea.*

Radicem mittit brevem, crassiusculam, fibratam, et inde ramos teretes, lignosos, ornatos foliis infernè luteis, unde nomen, scutorum aut hederae forma, multisque distincta interveniis. Radix est odora gustu, acris, calida et sicca gradu tertio, subtiliumque partium. Urinam evocat, et dolores renum tollit jus decocti foliorum semel quotidie tempore matutino epotatum. Nascitur in collibus frigidarum regionum, campestribusque locis *Tanguitlani*, *Mistecae* superioris.

CAPUT CCV.

De AYOPATLI, *seu medicina cucurbitae.*

Arbor est AYOPATLI, quam *Axochitlanenses* a fructus forma *Tzapoquapatli* vocant, folia ferens terna, Loto urbanae similia, flores candentes et fructum similem *Tetzapotl*; radices vestitas corticibus crassis, qui teneri sunt, amari et acres, calidaeque et siccae ordine tertio temperiei, ac paene quarto, partiumque subtilium. Radix devorata semiunciae pondere totius corporis medetur doloribus. Tumores prae-

ter naturam admota dissipat et capitis dolores, si lavetur jure decocti ejus. Nascitur *Tonallae* non procul a *Misteca* superiori.

CAPUT CCVI.

De APITZALPATLI *Acatlanensi.*

Radicem fundit fibratam, unde profert caules: et in eis folia angusta, longa, et obducta lanugine, Cirsii aut vulgaris Pilosellae, et flores modicos, luteos, in vasculis purpureis contentos. Radix est dulcis cum quadam amaritudine, et ad temperiem pertinens, quamquam exiguam quamdam praeseferat adstringentiam. Diarrhoeis dysenteriisque pota radix duarum drachmarum pondere dicitur mederi, unde est illi impositum nomen. Nascitur in collibus *Acatlani*, *Mistecae* inferioris.

CAPUT CCVII.

De AXIXCOZAHUILIZPATLI, *seu medicina urinae lutea, Anguitlanensi secunda.*

Radici insistit surculosae, ex qua oriuntur tenues stipites, teretes, nodis distincti: et in eis folia exilia leguminis, flores lutei, parvi, et siliquae parvae cicerum similes, sed paulò minores. Amara est, calefacitque, et exsiccat ordine tertio, etsi postremò dulcedinem quamdam similem Glycyrrhizae videatur ostendere. Jus decocti ejus

dicitur pectoris asperitati mederi, ventris dolorem a frigore ortum sedare, evocare urinam, et emundare illius meatus, unde nomen. Nascitur in frigidis et campestribus *Mistecae* superioris.

CAPUT CCVIII.

De APITZALPATLI *Huaxacensi.*

Radicem fundit magnam et surculosam haec arbuscula, unde profert stipites hominis aequantes altitudinem: et in eis saligna folia, sed paulò latiora, serrata, et Hyperici modo per quaedam velut foramina transmittentia lumen, et coccineos flores. Calida est, gustu odora, sapitque *Cempoalxochitl.* Radix est glutinosa. Medetur diarrhoeis jus decocti ejus: verùm decoctionem fieri oportet lapillis candentibus simul in aquam conjectis. Tingit colore cyaneo lanas, quo fit ut ad species *Anil* referri possit. Nascitur in agris *Huaxacensibus*, qui temperie mediocri gaudent.

CAPUT CCIX.

De AHUAPATLI *Tlilancensi.*

Arbor est magna, spinosa ferens folia, Querneis similia, sed paulò longiora, florem autem parvum, luteum et orbicularem, ac demum nigrescentem fructum. Stipites pallidi intrinsecùs sunt, quorum ramentorum decocti jus icte-

ricis dicitur magnopere conferre, et his qui bilis redundantis gratia cordis vexantur affectionibus. Nascitur in collibus planisque locis *Mistecae* superioris.

CAPUT CCX.

De *AZTALXOCHITL.*

AZTALXOCHITL, seu *flos ardeae*, quam alii *Quayztalacocoxochitl* vocant, herba est fibris adhaerens, unde caules eduntur: et in eis folia rara, Ocymi, serrataque, magna ex parte terna, et in summis caulibus magni flores scariosis vasibus contenti, quorum media pars rubea est, sed luteis variata punctis, folia verò circumambientia, rara, longaque, et rubescentia ex candido. Floris tantùm est usus. Nascitur Mexici.

CAPUT CCXI.

De *AYTZMITL*, *seu Portulaca aquatica.*

Herba est fibratae radicis, unde proferuntur caules tenues, teretes, purpurei: et in eis per intervalla folia serrata, Ocymi, ac circa summum flosculi ex albo rubescentes, circumdatique foliolis luteis, oblongi, parvis spondylis similes. Gustu est odora, calidaque et sicca natura ordine secundo et subtilium partium. Provenit *Yztamatlitlani* juxta aquas.

CAPUT CCXII.

De AOCCHOTÓ.

Herba est radici insistens Raphani, minori tamen et fibratae, unde mittit caules tenues, virentes, teretes: et in eis folia longa et angusta, salignis similia, sed media ferè parte praecincta, ac in angustius contracta, et in summo flosculos luteos, vasculis oblongis et comantibus contentos, cujus nullam adhuc memoratu dignam facultatem accepi.

CAPUT CCXIII.

De ANONYMA *Mechoacanensi.*

Herba est tuberosae et transversae insistens radici, ex qua prodeunt rami: et in eis folia Ocymi, minora et magis acuminata, in supremis verò ramis flores lutei, parvi, oblongis spicatisque vasculis comprehensi. Cujus licèt exciderit et vis et nomen, poterit tamen iconis auxilio facilè ab iis qui me sequentur, pervestigari.

CAPUT CCXIV.

De altera ANONYMA *Mechoacanensi.*

Herba est radicibus surculosis firmata, unde profert caules multos, tenues teretesque: et in eis folia per intervalla bina, obrotunda et mediocris magnitudinis, in postre-

misque ramulis flores luteos, rotundos, modicos, magna ex parte ternos, cujus adhuc nullam facultatem accepi.

CAPUT CCXV.

De tertia ANONYMA *Mechoacanensi.*

Collegeram apud Mechoacanenses herbam, quam statim depingendam, describendamque pariter cum facultatibus curaveram, et quamquam, incuria fortassis domesticorum, descriptio perierit; mansit tamen imago apud me, quam posteritati libuit communicare, vel quòd noscere opera Dei nemini fore ingratum putem, nullis et viribus adjectis, vel quòd a me aut ab aliis, qui me sequentur, investigari, hisque aut aliis scriptis atque monumentis adjici poterunt. Ergo radicibus firmatur fibratis, et multis, indeque edit caules multos et tenues, ornatos foliis quaternis per intervalla, modicis, Origani forma, et serratis; et in summo fert comantes flores vasculorum figura, circa extrema stellatos et ex luteo rubescentes. Nascitur, ut conjecto, *Pascuari* Provinciae Mechoacanensis, ubi cetera, quae ad hujus plantae naturam pertinent, erunt ab indigenis Medicis extorquenda.

CAPUT CCXVI.

De TEPARISIRANGUA *Mechoacanensi.*

Nascitur apud Mechoacanenses herba quaedam, radice

fibrata et extrinsecùs nigra, ex qua funduntur caules geniculati, et nonnihil pallescentes, ornati foliis salignis, et in summo luteis atque pilosis flosculis. Febribus etiam perfrigeratis evocato sudore medetur. Erit fortasse Mexicanorum *Coapatli*.

CAPUT CCXVII.

De AXIXPATLI *Tototepecensi.*

Radicibus insistit tenuibus et fibratis, unde mittit caules exiles, et volubiles, in eis verò folia orbicularia, et mediocria, et flores modicos et cyaneos. Radix amara est, calidaque et sicca ordine tertio, tenuiumque partium. Eadem tusa et drachmae unius pondere ex aqua devorata urinam retentam evocat. Nascitur in calidis, humidisque et planis *Tototepeci* locis.

CAPUT CCXVIII.

De ATLINAN *Tototepecensi.*

Arbor est folia ferens Mali Medicae, sed minora, et magis acuminata, ac multis conspicuisque interveniis, tum secundùm longitudinem discurrentibus, tum obliquis insignia, et subaspera, flores verò parvos et candentes. Cortex radicis, quae frigida est, adstringens et glutinosa, fractis medetur ossibus; idem praestant folia tusa et emplastri modo applicata. Nascitur in calidis et planis locis.

CAPUT CCXIX.

De ACOMPATLI.

ACOMPATLI *Tototepecensis*, quam alii *Tlahoelilocapatli* vocant, frutex est multos ab una radice proferens caules, teretes et fuscos: et in eis Solani folia, flores albidulos, et fructum Myrti baccis haud absimilem. Amara est radix, ac tertio ordine calefaciens et exsiccans. Cortex radicis duarum drachmarum pondere tritus, atque ex aqua quarto quoque die devoratus hydropem curat. Sunt qui dicant morbo gallico eodem modo mederi. Nascitur in calidis juxta fluminum ripas.

CAPUT CCXX.

De ATOLPATLI *Tototepecensi.*

Radicem fundit tenuem, luteam et fibratam, unde profert caules tenues et teretes: in eis verò folia Persici, ac flores in cacumine coccineos, et oblongis vasculis contentos. Vis est frigida siccaque, et diarrhoeas compescens, si jus decocti radicum bibatur. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT CCXXI.

De AMOLPATLI *Tototepecensi.*

Radice firmatur tenui et longa, unde profert caules tenues, teretes, prolixos, hirsutos, subalbescentes, et vo-

lubiles: et in eis folia rara, amygdalinis similia, hispida et infernè candescentia. Radix calefacere videtur, humectareque cum quadam lenitate atque dulcedine, quo fit, ut semiunciae pondere ex aqua devorata vomitum cieat, atque ita appetentiam semimortuam excitet. Nascitur in calidis locis campestribus atque editis.

CAPUT CCXXII.

De *APHATZE.*

Herba est e radicibus fibratis unicum proferens caulem, sex dodrantes longum, ac crassitudine parem culmo triticeo: et in eo folia per intervalla bina, Mali Medicae foliis paene paria, sed diluto tincta virore, aculeis quibusdam raris per margines distincta ac tribus nerveis discursibus secundùm longitudinem procurrentibus, flores verò circa postremos ramos parvos et arentes. Insigni sapore et odore caret, et tamen radix tusa atque ex aqua devorata infusave medetur pectoris ac alvi doloribus. Nascitur *Huacanae* calida regione.

CAPUT CCXXIII.

De *APAREQUA.*

Herba est radici insistens longae, lentae, ac per intervalla tuberosae, unde prodeunt caules multi, hominis aequantes altitudinem, et propinquas arbores scandentes, foliis or-

nati virentibus, Mali Medicae foliis non plurimùm dissimilibus, candentes ac modici flores, et fructus nullus. Frigida est et adstringenti natura. Jus decocti semiunciae radicis in pulverem redactae epotatum medetur doloribus e gallica lue profectis, bubonibusque, ac vitiatae motioni multimodè vacuatis humoribus fert opem. Nascitur in calidis et arentibus *Huacanae* locis.

CAPUT CCXXIV.

De APEHTZI.

Apehtzi, seu *herba suprema parte comata*, radicibus firmatur asphodelinis paene similibus, intrinsecùs candidis, extra hirsutis, et gossypina tectis lanugine, ternis quaternisve, et in surculos longiusculos desinentibus, unde prodit caulis virens, folia Quercus, flores verò candentes, pilosique, abeuntes in pappos. Radices quatuor quinqueve tusae et resolutae ex aqua, atque infusae medentur diarrhoeis. Nascitur editis atque humilibus locis regionum frigidarum Mechoacani.

CAPUT CCXXV.

De AVANANDUMUCUA.

Herbula est radici surculo simili innixa, unde prodeunt ramuli tenues, spiniferi et purpurei, ornati foliis ternis, oblongis et exilibus, et e pediculis propendentibus, quibus si-

liquae teretes, et quae sensim attenuantur, appendent, refertae semine sinapino paulò majore, orbiculari et candenti : floribus praeterea in summo luteis ac stellatis. Radix est amara et nonnihil acris. Succus foliorum instillatus auribus medetur surditati. Nascitur in calidis *Huacanae.*

CAPUT CCXXVI.

De TEPATLI, *seu saxorum planta.*

Volubilis est radici insistens orbiculari, candenti, taurino testiculo simili et desinenti in surculum, unde mittuntur caules volubiles, tenues, et ornati foliis laevibus, virentibus, pinguibus, nec dissimilibus illis Vitis albae, sed alatis circa exortum. Radix est amara calidaque, et discutiens praeter naturam tumores. Nascitur *Huexutlae* provinciae *Panucensis.*

CAPUT CCXXVII.

De ALAHUACZIOAPATLI.

Radici insistit crassae, longae et levi, unde proferuntur caules multi lentique, et ternos prolixi cubitos, ornati foliis obrotundis, et exsaturato virentibus colore, et flore (ut ferunt) nullo. Vis est frigida et salivosa, et tamen caules tusi atque devorati ex aqua dicuntur mitigare dolores, ex gallica lue ortos, et partus vehementes lenire. Nascitur in calidis provinciae *Panucensis.*

CAPUT CCXXVIII.

De TETEXOTZIN.

Malvae species est Alceaeve, nam folia et semina similia sunt, frigidaque et salivosa gaudent natura. Febres puerorum illita dicitur exstinguere, ac vomitum devorata compescere. Nascitur in calidis et humidis locis provinciae *Panucensis*.

CAPUT CCXXIX.

De CITLALXIHUITL.

Radicem tenuem et fibratam fundit, et ex ea ramulos teretes tenuesque, ornatos foliis multifidis, unde evenit ei nomen, *Citlalli* enim *stella* est Mexicensibus, flores verò modicos, e candido purpurascentes, atque exile et candens semen. Amarum saporem praefert et nonnullum calorem. Redacta in pulverem dilatat ulcera, et ante tempus coalescentibus obsistit, et pannos extergit: quin excalfacta folia, tusaque cum sale, et resoluta ex aqua morbis oculorum dicuntur mederi.

CAPUT CCXXX.

De PILYCXITL.

Ita vocant Panucenses, apud quos etiam nascitur, quam alii *Omizazal* vocare consueverunt, ajuntque succum ejus

ulceribus ac tumoribus praeter naturam mederi, frigida et glutinosa, qua constat, vi.

CAPUT CCXXXI.

De PAPANTAPAZOLI.

Species est Filicis, eademque constat natura. Nascitur aquosis et calidis locis *Panucensis* regionis.

CAPUT CCXXXII.

De CHAPULCHICHITL.

Radicem fundit surculosam, et inde caules breves, teretes tenuesque : et in eis Ocymi folia, serrata, et in summo capitula Stoechadi similia, ornata flosculis et exilibus et ex albo in luteum vergentibus, et semine candenti. Vis est calens. Jus decocti ejus ad quartas hydropicis cachecticisque medetur, si decem dierum intervallo quotidie semel potari contingat ; verùm decenti regimine per id tempus uti opus erit. Nascitur in calidis et campestribus locis regionis *Panucensis*.

CAPUT CCXXXIII.

De CHOCHOYATL.

Quam nostri *Ytzcuinpatli*, Panucenses CHOCHOYATL vocant, qui ajunt scabiei, tineae, pruritui ac lichenibus mederi.

CAPUT CCXXXIV.

De TZOCUIPATLI.

Radici insistit fibratae, unde profert caules teretes, hirsutos subalbidosque: et in eis folia Ocymi, sed longè majora, profundiùs serrata, hispida, altera parte candescentia et *Cyoapatli* similia, luteosque superiori parte orbiculares et pilosos flores. Radix est odora, resinosa amaraque, et calida prope ordinem quartum temperie. Jus decocti ejus, ad tertias semel tantùm bibitum, dicitur restituere impeditum motum. Nascitur in montibus regionum calidarum, qualis est *Panucensis*.

CAPUT CCXXXV.

De herba, quam vocant de la PLAYA, *seu Brassica marina.*

Allata est a Panucinis *Brassica marina*, quae e radicibus tenuibus profert ramos tenues teretesque, et sparsos per terram, ornatos foliis oblongis, Hederae, interdum sinuatis, et in tres cuspides divisis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER QUARTUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De CHARÁPETI, *seu planta rubea.*

Radicem fundit CHARÁPETI rubram, unde nomen, Raphani similem et crasso cortice vestitam, ex qua prodeunt pediculi tenues, teretes, spithamaei, atque purpurascentes: folia hirsuta, serrata, oblonga, quina, et similia Quinquefolio. Radix saporis est valde adstringentis, frigidaeque et siccae temperiei. Radices et folia tusa tumoribus praeter naturam imponuntur, pulvis verò utilissimè inspergitur ulceribus. Congenerem esse huic existimo eam plantam, quam Mexicani *Illacatzpatli* vocant (nam et vis eadem est,

sed breviora folia et minùs rubra) et utramque ad Quinquefolii genera pertinere: quamobrem ejus descriptionem huic statim adjungemus. Nascitur *Pazcuari*, provinciae *Mechoacanensis*, ubi et aliae duae plantae proveniunt eodem nomine, de quibus seorsim est a nobis dicendum.

CAPUT II.

De YLLACATZPATLI, *seu contorta medicina.*

Radicem fundit Raphani rubescentem, et quandoque contortam, unde nomen; a qua multi prodeunt pediculi circa exortum rubei ac sex uncias longi, quorum extremis partibus quina procedunt folia serrata, illis Pentaphylli similia, sed aspera; caulis est cubitalis, et in cacumine flos luteus, orbicularis et modicus. Frigida siccaque natura constat; quo fit, ut narrent Indi radicem sex drachmarum pondere devoratam febribus mederi. Pentaphyllo vero adeo similis est, ut eadem, aut illi congener haberi possit, quamquam hujus radix crassa sit, atque depilis.

CAPUT III.

De YAPAXIHUITL, *seu herba tinctoria.*

Radici innititur YAPAXIHUITL longae, digitalis crassitudinis, fibratae et vocati Raphani simili, extra rubeae, intra verò ex rubeo candescenti, unde multi prodeunt pediculi te-

nues, teretes, et coccinei, quinis foliis ornati, singulis tamen in binos sinus ternasque fissis cuspides; quo fit, ut possit ab aliquo haec planta in Pentaphylli genera referri; caules quoque rubescentes, referti flosculis, interdum rubeis, interdum candidis; sunt enim ejus duae species, quarum altera flores ac radicem candidam fert, altera rubeam. Frigida, siccaque et adstringenti natura constat, ideoque ejus semiuncia tusa ac devorata praeter alios, qui ejus temperiem sequi solent, effectus febrem exstinguit, oris ardorem sedat, adstringentibus quibusque medicamentis utilissimè miscetur, fluxus compescit, e calida praecipuè intemperie ortos, ventriculumque imbecillem roborat atque confirmat. Nascitur in locis saxosis Mexicanae regionis. Sunt qui *Tetexcallo* vocent, nec desunt qui *Tlatlauheapatli* seu *medicinam rubram*, aut ob colorem coccineum radicis et caulium, aut quoniam alteri plantae eodem nuncupatae nomine sit admodum similis.

CAPUT IV.

De TLALCHICÁLLOTL, *seu spina humili.*

Est et alia species Pentaphylli, radicem proferens longam, crassam, atque rubescentem, quina septenave folia, serrata, obrotunda, infernè squallida et supernè virescentia, et flores rubros. Frigida pollet siccaque et adstringenti na-

tura, atque ita Indi refrigerandi, adstringendi, et dysenterias coërcendi causa ea non inutiliter uti consueverunt.

CAPUT V.

De YMACPALTEQUANI, *seu manu Leonis.*

Memini me, cum de generibus *Ocopetlatl* Libro tertio agerem, attigisse hanc herbam, quae hìc rursus, quoniam ad Pentaphylli differentias videtur pertinere, non immeritò repetetur; siquidem capillorum instar firmatur radicibus, unde profert pediculos tenues et rubeos, quibus appendent quina folia, oblonga, serrata, et Diapensiae similia, et florem viridem et modicum. Vis eadem, quae Pentaphyllo, frigida nempe et adstringens; quo fit, ut alligata brachiali curet haemorrhoidas, et radix dentes firmet. Quin dolori aurium medetur ac pituitam admotus pulvis naribus evocat.

CAPUT VI.

De CHUPRÉI, *seu Charápeti secunda.*

Frutex est CHUPRÉI radici insistens crassae et longae, externa parte ex albo pallescenti, et interna purpurascenti ex albo et luteo, unde nomen: prodeunt ab illa multi rami tenues, prolixi, exsaturati viroris, et vergentis in colorem caeruleum, teretes, laeves, ac referti Mali Medicae foliis, quamquam majoribus et luteis, ac stellatis floribus.

Sapore et odore insigni caret, siccaque et adstringenti constat natura. Habent hanc plantam indigenae in magno pretio, ejusque vires in arcanis recondunt, quas tamen magna cura atque diligentia ab illis extorsimus, affirmantibus plantas reliquas Mechoacanenses in sedandis a morbo gallico ortis doloribus facilè superare ac vincere, curandis nervorum affectibus, scabie, atque aliis perniciosis et rebellibus morbis, et qui levioribus medicamentis non cedant; si radix unius unciae pondere recipiatur, aquae verò bini congii, ferveantque ad ignem, donec tertia pars absumta sit, jusque decocti ejus semiunciae mensura quotidie sorbeatur, eadem victus ratione instituta, quae *Guaiaci* decoctum assumentibus praescribi solet: idem decoctum medetur praeter naturam tumoribus ulceribusque, et ceteris symptomatis, ab eadem lue profectis, et potatum, et illitum: tumores capitis et brachiorum discutit, dysenterias compescit, excitat appetentiam, et impinguat extenuatos. Nascitur in calidis Mechoacanensibus, aquosis et humidis locis.

CAPUT VII.

De CHARÁPETI *tertia.*

Herba est radici insistens fibratae, unde proferuntur stipites multi, prolixi, fulvi: et in eis folia serrata, Urticae aut Ocymi proxima, sed tamen oblongiora, et juxta

cacumen flores longi et angusti, ex albo rubescentes: his decidentibus apparent vesicae cordis figura, in quibus continetur semen. Calida et sicca radix natura constat. Eadem tusa, resoluta ex aqua, et sex obolorum pondere epota scabiem curat, etiam gallicam, ac ventris dolores lenit. Nascitur in calidis et frigidis *Mechoacanensibus* locis.

CAPUT VIII.

De CHARÁPETI *quarta.*

Radice firmatur Raphano simili, fibrataque, unde mittit caules multos: et in eis folia per intervalla terna, longiuscula, angusta, et pinguia. Frigida et sicca viget natura, confertque flos ejus inspersus vetustis plagis, etiam e gallica lue profectis. Nascitur aridis ac saxosis locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT IX.

De CHUCUNGUARIQUA.

Modicus frutex est CHUCUNGUARIQUA, fibratae insistens radici, unde assurgunt tres, quatuorve stipites, ternas spithamas longi, folia angusta prolixaque, coacervata per intervalla, ac semen circa postremos ramulos vasculis binis congestum. Folia amara sunt, et calida juxta tertium ordinem, siccaque temperie praedita. Radix drachmarum dua-

rum pondere devorata, evocato sudore, dolores e gallica lue ortos curare dicitur. Provenit apud *Mechoacanenses.*

CAPUT X.

De CURIQUA, *seu medicina urenti.*

Herbula est radices fundens numerosas, Asphodeli similes, sed minores, unde eduntur caules teretes et tenues, foliis rutaceis, per intervalla binis, longis, angustis, et in cuspidem desinentibus, et semine in summo orbicularibus vasculis contento. Folia tusa et genis illita dentium, atque adeo quemvis alium dolorem placant, etiam e lue gallica profectum, admistis praecipuè vermibus, quos Mexicani vocant *Coyayahoaltin.* Nascitur *Mechoacani*, montosis et campestribus locis.

CAPUT XI.

De CURIQUA *secunda.*

Herba est CURIQUA *secunda* radicibus innixa Asphodeli similibus, fibratis tamen ac funiculis quibusdam appensis, unde profertur caulis unicus, Arundini similis, foliis longis, angustis, arundinaceisque, et nervis secundùm longitudinem discurrentibus insignibus tectus. Calida siccaque natura, ut nomen indicat, praedita est: radices verò tritae ac devoratae dicuntur doloribus a morbo gallico profectis me-

deri, eruptionesque ipsas rumpere, extergere, atque exsiccare. Provenit *Mechoacani.*

CAPUT XII.

De CURIQUA *tertia, seu volubili.*

Radices fundit fibris similes, et ex his caules contortos, sarmentosos, ac juxta geniculos, qui frequentes sunt, maximè rubescentes: folia Solani, fructumque in postremis flagellis luteum, et racematim dependentem, oblongum, tenuem, et spiniferum. Arboribus prope adstantibus advolvitur. Temperies est insigniter calida et sicca, ut testatur nomen. Radices tusae, atque ex aqua devoratae dolores leniunt: tusa verò folia pannos discutiunt et tumores alios. Succus radicis unciae unius pondere epotus tussi confert, et appetentiam excitat. Nascitur in calidis *Mechoacanensibus.*

CAPUT XIII.

De CURIQUA *quarta.*

Herba est multis radicibus fibrarum in modum innixa, lacteque manantibus, unde prodeunt caules tenues, duos dodrantes longi, teretesque, folia subalbida, serrata, et in tres cuspides binis sinubus divisa. Vis est urens; lac ejus exulcerat loca, quibus apponitur, ampullis e vestigio excitatis, atque ita arthriticis utiliter admovetur. Oleum verò,

cui folia infringuntur infundunturve, illitum dolores sedat. Nascitur *Mechoacanicis* agris.

CAPUT XIV.

De COYOLXOCHITL, *seu flore sonalis.*

Volubilis herba est COYOLXOCHITL radici innixa nucis juglandis magnitudine, e qua profert caulem teretem, laevem, purpureum et pennam anserinam crassum, in eoque folia arundinacea, sed breviora aut minori Plantagini similia, eodemque modo distincta nervis secundùm longitudinem discurrentibus, flores extremo cauli acervatim adhaerescentes calycum forma, spectatu pulchros, et e rubro in viridem tendentes colorem, punctisque quibusdam variatos, intra quos latet semen contusum ac rotundum. Liquor expressus e floribus, qui frigida ac lubrica constat natura, etsi partes calidas acresque nonnullas contineat, sanguinem narium sistit; radicum verò succus exstinguit febres, punctis medetur ac dysenterias cohibet. Usus est etiam florum ad contexendas et ornandas corollas. Provenit clementi caelo, quale est Mexicanum, campestribus cultisque, et hortensibus locis, ubi solet haberi in deliciis.

CAPUT XV.

De COYOLYZQUIXOCHITL, *seu Yzquixochitl sonalis.*

Volubilis genus est COYOLYZQUIXOCHITL flores fundens candentes corymborum forma, odoris jucundi, unde nomen; similes enim sunt odore *Yzquixochitl*, de qua arbore est a nobis suo loco, Domino concedente, loquendum, ac parietes viridariorum topiario quodam vestiens opere. Nascitur in frigidis *Ocuillae.*

CAPUT XVI.

De NUCIS *Indicae, Coccive arbore.*

Quam vulgus Indorum *Maron*, Strabo verò (ut quidam volunt) *palmam* vocat ferentem fructum a Mexicensibus *Coyolli*, a Lusitanis ob oculos quosdam Cercopitheci similes *Coccum*, a vulgo verò Persarum et Arabum nuncupatum *Narel*, arbor est vasta, Palmae magnitudine et figura, in cujus genus citra dubium est referenda, materie fungosa, levi et ferulacea, fructu orbiculari, aut paulò oblongiore, capitis humani amplitudine, racematim dependente, ac menstruo, sed intra trium mensium spatium maturescente, interdumque septem octove racemis centum sexaginta libras pendentibus arborem suam onerante. Universae paene hujus plantae partes sunt usibus humanis aptis-

simae. Nam ex ligno foventur ignes splendentque foci, fabricantur apud nonnullas nationes naves, naviumque tabulata, clavi exacuuntur, aptantur mali et fabricantur aedium tecta. Cumque duo sint harum palmarum praecipua genera, alterum fructui ferendo, alterum verò liquori evocando idoneum; succus qui stillat ex tenerrimis hujus germinibus, atque racemis circa postrema flagella alligatis et incisis, exceptus fistulis arundineis vasisve aliis, usurpatur pro vino, prima die suavis, tribus aut quatuor sequentibus injucundus, ac deinceps prorsus supervacaneus et inutilis, semper tamen ingratum virus olens, crassos humores et flatum generans, modicèque humectans et calefaciens, et vino nostrate mitior, ac minùs feriens caput, si vasculis, quibus excipitur, nihil infundatur, quod temulentiae sit causa, qualis esse solet *Mangle*, de qua suo loco dicemus. Ajunt autem id generis vinum phthisicis mirè conferre, adeoque esse opportunum urinae renumque vitiis laborantibus, ut vix sit in Philippicis insulis quemquam offendere, sive ex indigenis, sive ex nostris similibus morbis affectum, emundatis ea potione his partibus, comminutisque et expulsis lapillis. Et tamen laedere ajunt eos qui obstructiones, lienis praecipuè, ac hydropem patiuntur. Ex hoc vino insolato, aut alicubi servato per octo decemve dies acetum fit acerrimum, sed quod nostrate minùs ex-

siccet, ac admotum igni statim acrimoniam omnem amittat; quamobrem ferculis jam refrigescentibus admiscetur. Durat diutiùs, sed aqua admista quamcelerrimè evanescit, atque corrumpitur. Ex eodem vino carbonibus imposito spissatoque paratur mel, ac saccharum, adeo suave, ut a multis ac praecipuè indigenis vero saccharo et melli, quibus etiam abundant, praeferri soleat. Calida et humida temperie constat, gustui gratum est, diutiùs incorruptum perseverat, mollit pectus, gravedini confert, ventriculum cerebrumque roborat, ac coctionem juvat. Nux verò binis tegitur corticibus, nempe externo, qui villosa constat natura, ac velut cannabinis stupeisque filamentis intexta, in dulci harum palmarum genere circa initia eduli, et Cynarae spiniferos resipiente acanthos, sed dulciore et minùs adstringente, aptissimoque cohibendis diarrhoeis, satietati curandae, et ventriculo instaurando. Ex hoc eodem cortice parantur peropportuna ellychnia inflammando bellicorum instrumentorum pulveri, navium funes et rudentes firmissimi, et salsi humoris injuriis quamminimè obnoxii, materiesque stupea praestatur tabularum compagibus infarciendis, et quae madens intumescat, arctiùs obstruat rimas, impetumque maris commodiùs arceat. Interno altero cortice praedicta operitur nux, nitido, praeduro, et nigri coloris: parantur ex eo vasa pulcherrima, auroque et argento exor-

nantur, ut quae fama sit saluberrimum reddere potum, ac paralysi nervisque corroborandis (ut cumque se res habeat) valde conferre. Subest callum, nucleusve candidissimus, edulis ac sapore referens dulcia amygdala, ex quo contuso atque expresso lac extorquetur citra ignis operam, utilissimum necandis lumbricis si octo unciarum pondere, addito sale, matutino assumatur, et praecipuè a pueris, aliisque natu minoribus. Miscetur quibusdam cibariis parandis, velut Oryzae, candido vocato ferculo, et similibus. Verùm crassum velut et ipsa medulla praebet alimentum, et concoctu difficile, pituitamque multiplicat hominibus in quibus abundat, nec tantillum dilata noxa, cum tamen robustis atque illius alimoniae assuetis nihil inferat mali, velut experimento compertum est in his qui *latronum* vocatas insulas colunt, quibus est praecipuum nutrimentum, et venerem impensè excitat. Idem nucleus solet delibrari, secarique in frusta, atque ita in loca, apud quae non provenit, venditandus deferri: loco enim castanearum in usus reconditarum editur. Quin ex ramentis nuclei, addita aquae opportuna mensura, fervefactis et nimiùm agitatis oleum supereminere solet, parandis ferculis, dum recens est, non inutile; medicinae verò usibus aptissimum. Dulce est, liquidum, splendidum, et oleo amygdalarum dulcium gustu non dissimile. Calida humidaque temperie constat, et sex

octove unciarum mensura epotatum, addita interdum aqua, ubi Tamarindi aliquamdiu maduerint, ventriculum intestinaque leniter expurgat, et humores praecipuè atrabiliosos et pituitosos vacuare solet: cum tamen nucleus alvum dicatur coërcere; verùm recens extractum oportet assumi. Dolorem sedat, ac praecipuè ortum a frigida causa, et vulneribus mirè opitulatur, nam et sanguinem sistit, saniem extergit coërcetque: dolorem sedat, et tandem cicatricem inducit, oleo vocato *Aparicii* efficaciùs, quin pectus lenit illitum, purgat infusum, et alia hujusmodi innumera praestat auxilia, quae difficilè possent singulatim recenseri. Nam et ex frustulis, quorum superiùs meminimus, extrahitur oleum utile lucernis, Oryzae parandae, nervis contractis laxandis, articulorum doloribus antiquis leniendis et necandis lumbricis utilissimum. Unaquaeque etiam nux continet intra se liquoris candidi serò lactive similis trium ferè librarum mensuram, siti, febribusque exstinguendis, colorique contemperando idonei, medendisque et extergendis oculis, et emundandae mulierum cuti. Eadem aqua frigefacit et humectat, emendat sanguinem, purgat ventriculum, et vias urinae emundat, sedat dolorem, inflammatis oculis medetur, et carnem in eis superexcrescentem absumit, medetur pectori, ac praegrato est gustu, maximè aestuantibus, ac sitim sentientibus, quibus, etsi sudore

perfundantur, et quantamlibet assumant copiam, etiam matutino, et ventriculo adhuc vacuo minimè videtur officere: plurimum praebet alimentum, et potio est adversùs biliosas febres mirabilis, qui etiam, qua die pharmacum bibitur, assumi potest, etsi flatum generet, sitque ventriculi laxitatem patientibus aut diarrhoeas meritò vitanda. Eduntur germina capitave harum palmarum, quae suavissima sunt, sed cum certa arboris jactura ; juxtaque suborientia folia non omninò sunt supervacanea, eis enim vinum palmarum percolatur vicem praebentibus coli, ac calceamentorum interdum parantur soleae. Nascuntur passim apud Orientales, et jam quoque apud Occidentales Indos, ac praecipuè maritimis arenosisque locis. Seruntur nucibus, et inde enatae transferuntur plantae, atque ita brevissimo spatio adolescunt, exhibentque fructum, praecipuè si diligenter colantur, et serantur caelo fervido. Hieme etiam cinere et stercore inspergi volunt, et aestate aqua. Ampliores tamen proveniunt juxta aedificia, nam videntur pulvere et luto gaudere. Ex praedictis notum esse arbitror non unicum esse harum palmarum genus. Est tamen apud hanc Novam Hispaniam et aliud, littoribus nempe australis pelagi, sed fructu longè minori, nec majori eo, quem pictum exhibemus, eisdem tamen, ut existimo, facultatibus. Sunt et palmae pumiliones apud Philippicas insulas, ut a viris fide-

dignis accepi, quae vix a terra erupere, cum edunt fructum. Sunt et aliae vocatae *Bahei*, quarum fructum ad nos allatum pictum exhibemus, et aliae quas *Sacsac* vocant, de quibus est a nobis paulò infra dicendum.

CAPUT XVII.

De PALMA *Bahei.*

Tenuiorem brevioremque stipitem fundit praecedenti, et columnae forma, fructumque ante foliorum divisionem cubiti unius intervallo, fulvescentem e viridi, qua pingitur forma et magnitudine, quae pyri parvi est, cortice obductum crasso, callum densum, durum, candidis punctis interstinctum, et e rubeo colore in nigrum inclinantem, intra se continentem, quod adstringentis est gustus, roboransque. Gestant quintam partem illius glandis ore indigenae, et quocumque se conferant, circumferunt, admistam dimidio folio. Volubilis *Buyo* vocati, et calce conspersam. Ventriculum enim ita roborat cerebrumque, coctioni auxiliatur, dentes firmat, vomitiones a frigore excitatas sedat, rubrificat labia, nutrit, et oris arcet foetorem. Nascitur locis humidis Philippicarum insularum, et tamen ceteris generibus duxi adnectendum.

CAPUT XVIII.

De SACSAC.

Eadem ratione nolui praeterire genus Palmae, SACSAC vocatum. Crassior haec est *Cocco*, sed longè brevior, et latioribus ac brevioribus foliis. Fit et ex ea vinum et mel, quamquam diversa ratione, pariterque farina, ex qua non omnino improbandi nutrimenti panis concinnatur. Ut mel vinumque stillet, caput eximitur juxta folia, excavantque reliquum, confecto scrobe, donec in partem duram ac firmam perveniatur, ut in hujus cavitatem liquor stillet, ni perforato stipite circa infimam partem scrobis (quod saepenumero fieri solet) excipiatur fistula, atque ita tandem mel conficitur, simile viribus praecedenti, sed paulò calidius, licèt vinum sit vehementius. Ergo vino extracto, duorum annorum spatio Palmam stare permittunt, donec suaptè sponte arescat, tabescatque, quo tempore secant in frusta tenuesve tabellas, soli exponunt, et in albam farinam redigunt, quae in rubeum inclinat colorem. Ex qua per colum transfusa panem conficiunt edulem ac boni levisque, ut narrant, nutrimenti, concoctu facilem, et insipidi saporis.

CAPUT XIX.

De QUAUHCOYOLI.

Genus est Palmae ceteris similis, sed spinis horridum magnis, nigris et acutis, foliis tenuioribus, orbiculari fructu racematim dependente, laevi, et firmo, extra nigro, intra candido, nec ponticis nucibus majore, duri asperique nutrimenti, atque oleaginosi. Fiunt ex eo precarii vocati globuli, in magno pretio habiti, sonaliaque, quibus consuetas Indi celebrant choreas. Nascitur *Tacapichtlae*, ubi eam curavimus depingendam.

CAPUT XX.

De ICZOTL.

Est etiam genus Palmae montanae Iczotl, quam alii *Quauhtepopopatli* seu *montanas scopas medicatas* vocant, ut indicat nomen, duos tresve ab radice stipites edens: folia longa, angusta, crassa, Iridi ferè similia, sed longè majora, acervatim ab extremis stipitibus orientia: flores albos, odoros, racematim dependentes, ac sex constantes foliolis, ex quibus generantur fructus strobilis similes. Frigida arbos haec et glutinosa natura constat; quo fit, ut germina tosta et in laevorem redacta, epotaque e liquore quopiam adstringenti cum *Chian* aut *Bolo Armeno* dysenteriis mirè opi-

tulentur, ac detineant abortum, et jus decocti foliorum et radicis medeatur syncopi, epotum eo tempore, quo praesentitur invasio. Sunt qui dicant satietati quoque mederi, contractae ab aegritudine aliqua; quod qui fiat, nisi roborato ventriculo, divinare non possum. Non videtur silendum, e foliis hujus arboris fila parari linteis storeisque intexendis perquam accommoda, politiora, firmioraque eis, quae ex *Metl* fieri passim consuevere, madentibus in primis aqua, mox protritis ac lotis, iterumque et iterum maceratis, et insolatis, donec apta reddantur, ut nei possint, et in usus accommodari, materiemque ejus esse levem, ac lentam. Sunt et alia Palmarum genera in nostro orbe, atque in quibusdam hujus Oceani insulis a nobis visa, de quibus suis dicemus in locis; hic enim Novae tantùm Hispaniae plantae referuntur, nisi cum aliter fieri occasio cogit. Nascitur in locis montanis, cujuscumque sint temperiei.

CAPUT XXI.

De QUAUHCOROLI *Chietlae, seu arbore ferente globulos precarios.*

Arbor est mediocris, foliis Amygdali, latioribus tamen, Limoniaeve Mali, ac luteis floribus racematim dependentibus. Fiunt ex fructu ejus, detracto tantùm externo cortice, globuli precarii pulcherrimi, candidi, nitidi, ac firmi, ne-

que alium usum ejus arboris accepi. Provenit *Chietlae* calida regione, in asperis et montosis locis.

CAPUT XXII.

De YCPACTECOYOLI.

Arbor est magna YCPACTECOYOLI, ubique nascens, e cujus fructu sphaerulae parantur precariae, modicaeque, quas a materie pomiferas vocare consueverunt. Nascitur *Tototepeci*.

CAPUT XXIII.

De YCPACCOYOLLI.

Arbor est magna YCPACCOYOLLI, foliis Mali Medicae, ac fructu ponticis nucibus simili, luteo tamen, amaroque. Frigida videtur constare natura, etsi gravem quemdam spiret odorem.

CAPUT XXIV.

De CHAXAQUA, *planta simili calyci gossypino.*

Arbor est magna CHAXAQUA, similis *Mizquitl*, cujus radicis decoctae jus doloribus morbi gallici infusum medetur. Nascitur *Tacambari*, provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT XXV.

De CUTAQUATZITZIQUI, *seu flore tumenti.*

Herba est radicibus innixa fibris similibus, e quibus fundit caules tres cubitos longos, stipatos foliis similibus minori Plantagini, brevioribus tamen, angustioribus et diluto virore tinctis, et flores luteos vesicarum gerentes formam et modum. Radices amygdalarum amararum saporem praeferunt, acriorem tamen. Calidaque et sicca natura ordine tertio constat. Eaedem tusae cum foliis, et resolutae ex aqua infusaeque opitulantur dysentericis. Provenit *Tacambari*, provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXVI.

De COATLI, *seu aqueo serpente.*

COATLI, quam alii *Tlapalezpatli*, seu *medicinam sanguinis coccineam* vocant, frutex est magnus, foliis Ciceris, minoribus tamen, rutaceisve, sed majoribus, flore luteo elanguescenti, parvo et longiusculo, composito in spicas. Frigidae est atque humentis naturae, saporeque insigni carens. Aqua, ubi stipitum ejus quaedam assulae aliquamdiu maduerint, caeruleum paulò post contrahit colorem, renes et vesicam pota extergit refrigeratque : urinae acrimoniam temperat, febres exstinguit, et colicis medetur. Haec autem

potentiùs praestat, si radices *Metl* adjiciantur, quamquam ventriculum laxant, quod ego in me ipso sum aliquando expertus, et aliorum etiam multorum patuit testimoniis. Ajunt quoque gummi ejus oculis inflammatis opitulari excrescentemque in eis carnem extergere. Coepit jamdiu id lignum deferri ad Hispanos, et tincta cyaneo colore statim aqua esse miraculo prospectatoribus. Est et aliud hujus plantae genus eadem facultate, sed aquam minimè inficiens. Provenit regionibus moderatè calidis, qualis est *Mexicana*, et interdum etiam fervidioribus, qualis est *Quauhchinacensis.*

CAPUT XXVII.

De TLALCOATLI, *seu Coatli humili.*

Radices praelongas et tenues fundit TLALCOATLI, adeoque fibris similes, unde prodeunt caules tenues, geniculis intercepti, referti foliis Ericae exilibus ac brevibus: flores sunt candentes, longiusculi, ac velut e flocco concinnati. Calida secundo ordine constat natura, lubricaque. Jus decocti radicum propinatur difficilè nec sine dolore urinam reddentibus; dolorem enim lenit, emundat meatus, atque urinam, et quidquid illi obstaculo est, evocat. Nascitur in collibus, planisque locis regionum frigidarum, qualis est *Huexocincensis.*

CAPUT XXVIII.

De CAMOTLI, *seu Batata.*

Quam herbam Haitini *Batatam* vocant, nuncupare solent Mexicenses a radicis forma, quae praecipua est ejus utiliorque pars, CAMOTLI; cujus genera, etsi jamdiu nostris coeperunt esse familiaria, nutrimentum modumque serendi et colendi non desinam hoc in loco enarrare. Sunt ergo variae ejus differentiae, radicis tantùm colore distantes (nam stipites omnium volubiles sunt, angulosa et rotunda folia, flores verò calyculorum figura, ex albo purpurascentes) haec siquidem extrinsecùs jam rubet, interna verò parte candescit, diciturque *Acamotli*: interdum membrana vestiens purpurascit, interna verò candescunt, vocaturque *Yhoicamotl*: est cum externa nivea sunt penitioribus rubescentibus ex pallido, diciturque *Xochicamotli*; quandoque interna, externaque rubescunt, aut omnino sunt alba, vocaturque *Camopalcamotli* aut *Poxcauhcamotli*, nominibus a colorum varietate multis retro saeculis impositis. Radice omne genus constat oblonga, interdum vasta pro situs natura, ac totidem, quod dixi, variante coloribus. Quae cruda, assa elixave, aut variis ex ea ferculis paratis, esui apta est, saporemque indistincta ferè similitudine castanearum refert, neque dissimile praebet alimentum, nempe bo-

num, crassum tamen ac flatui suscitando opportunum: volubili, ut diximus, caule, terete, per terram sparso, tenuique, ex quo folia prodeunt per intervalla, foliis a nostris vocatae Melongenae, Malive insani similia, ac purpurascentia, et flores purpurei, parvi, et oblongi. Seritur ramulis defossa terra jacentibus, Augusto mense, vellitur-que radix ad usus toto autumno, hieme, atque vere. Clementi caelo culta provenit, et paulò quoque frigidiore aut calidiore, sed luxuriosiùs culto solo atque humecto.

CAPUT XXIX.

De XICAMA.

Volubilis genus est XICAMA vocata, radicis crassae in orbicularem formam magna ex parte vergentis, candidae, grati nutrimenti, et impensè refrigerantis temperiei, unde prodeunt rami tenues, teretes, longi, et per terram sparsi, e quorum singulis, per longa intervalla, terna oriuntur folia composita in crucis modum, ac veluti per medium orbiculariter secta; siliquae etiam mediocres, quibusdam infarctae lentibus. Usus est radicum, ut quae in mensas postremas subinde veniant, gratamque et frigentem (etsi flatui generando aptam) praebeant aestuantibus alimoniam, neque admodum malam, si priùs aliquandiu pendeant perflabili loco, ac permittantur ibi emarcescere. Sitim eaedem

exstinguunt, linguae calori et siccitati adversantur, febricitantibus peropportunum alimentum praestant, corporaque refrigerant, humectant et alunt. Ubique provenit, sed praecipuè hortensibus locis sata atque exculta. Saccharo conditas aliquando audio radices aut arena obrutas delatas fuisse in Hispanias, nec priusquam eo pervenirent vitium aliquod contraxisse. Mexicenses *Catzotl* seu *radicem succo manantem* vocant.

CAPUT XXX.

De XICAMATIC, *seu herba Xicamae simili.*

Sortita est haec herba nomen a similitudine radicis cum *Xicama*, de qua praecedenti capite sumus locuti, quam tamen ajunt flatum discutere, et colicae mederi drachmae unius mensura ex aqua devoratam.

CAPUT XXXI.

De CAMOPATLI, *seu Batata venenata.*

Radices agit CAMOPATLI magnas, Batatis quodammodo similes, unde ortum est nomen; e quibus funduntur caules volubiles, tenues, teretes ac per longa intervalla geniculati, et folia rara, sagittarum ferreis mucronibus similia, magnaque. Radix tusa atque inspersa fluminibus pisces interimit, ac per summas aquas fluitantes piscatorum offert rapinae.

CAPUT XXXII.

De QUAUHCAMOTLI, seu Yuca.

Frutex est decem dodrantes longus, ac tres quatuorve digitos crassus, praecinctus quibusdam hemicyclis nodorum instar per intervalla ex alterutra parte singulis, cortice fulvo et reliqua materia candenti, medulla lenta, ac radicibus Asphodeli, seu *Camotl*, unde nomen; sed crassis, dodrantem longis, intrinsecùs albis, teneris, denis, duodenisve, cortice nigro vestitis, quales non sunt alii cuipiam (quod adhuc viderim) plantae. Extrema caulis coccinea sunt, pediculique, et intervenia; folia verò ex viridi vergunt in purpureum, sed circa extrema tantùm caulis unius dodrantis intervallo septena per singulos pediculos. Radices hujus plantae eduntur assae, et sunt Batatis sapore persimiles. Alterum genus venenatum est, sed praedicto forma simile, ni priùs exprimatur succus; tunc enim ex eo panem salubrem ac gratum conficiunt, *Cazabi* et *Xauhxauh* in Haitina insula, ubi ejus est praecipuus usus, vocatum. Ut fiant ex hac planta diversa genera panis, ut seratur et excolatur, diximus in libello, quem Haitinis plantis, cum illic agerem, dicavimus.

CAPUT XXXIII.

De CHICHICCAMOTIC, *seu amara Batata.*

Radices fundit CHICHICCAMOTIC *Batatis* parvis similes, coloris ex albo purpurascentis, callique mollis: et ex eis teretes caules, et fulvos, tres circiter longos spithamas, ac folia peltae Hederaeve figura. Radix est frigidae, et humentis naturae: saporis et odoris ferè nullius, et paulisper glutinosa. Dysenterias sistit tusa radix, epotaque ex aqua aut adstringenti quopiam alio liquore. Provenit verò in calidis *Cocolani* collibus.

CAPUT XXXIV.

De TEPECAMOTLI, *seu Batata montana.*

Radice constat TEPECAMOTLI Raphani, unde multos caules fundit teretes, et geniculatos: ac in eis folia Olivae, sed minora, candidiora, et molliora: flores in cacumine coccineos, vasculis longiusculis contentos. Radix in farinam redacta, devorataque drachmarum trium mensura per inferna, sine ulla molestia, vacuat humores omnes; quandoque tamen per superna. Provenit frigidis montosisque locis *Huitzquilucae.*

CAPUT XXXV.

De CACAMOTIC *Tlanoquiloni, seu Batata purgativa.*

Quam CACAMOTIC *Tlanoquiloni* quidam vocant, alii *Caxtlátlapan*, alii verò *Apitzalpatli* solent nuncupare. Radicem haec fundit obrotundam, candentem et teneram; unde profert exiles caules, teretes, et volubiles, folia peltae Amazonicae Hederaeve forma, sed angulis quibusdam insignia: flores malvaceos, purpureos, calyculorum figura, cymbalorumve. Radices duarum unciarum mensura devoratae cubitum tendenti alvum mira lenitate, et securitate expurgant, tracta etiam e venis bili, ac reliquis humoribus. Quid quod dulci sapore et grato constat, nec macianis, pyrisve nostratibus cedente? Clamitet modò improba, et semper querula mortalitas, mille passim pharmacis excarnificari, in tanta medicamentorum blandissimorum foecunditate, et benignitate naturae. Nascitur in regionibus calidis, temperatisque sponte sua, atque etiam culta pertinaci quadam vivacitate, quales sunt *Pahuatlanenses* et *Mexicenses*, possetque in nonnulla Hispaniae transferri loca.

CAPUT XXXVI.

De CACAMOTIC *Hoaxtepecensi.*

Radicem fundit *Batatae*, purpureos caules, tenues ac

rotundos: folia Limoniae Mali subalbida et laevia. Opitulatur febrientibus radix velut alimentum ac medicina; frigidae enim est et humidae temperiei, gratique saporis, etsi nonnihil amari, et punctis, quae synochas febres sequi solent, dicitur conferre.

CAPUT XXXVII.

De CACAMOTIC *tricuspide.*

Radices fundit *Batatae* similes, et fibratas, unde nomen, caules tenues, teretes, volubiles, et praelongos: folia in tres cuspides divisa. Frigida et humenti natura constat, exstinguitque febres. Provenit juxta rivos, aliasve aquarum defluxiones.

CAPUT XXXVIII.

De CACAMOTIC *Tacapichtlae.*

Radicem fundit *Batatae* similem, unde nomen; tenues caules, folia sinuosa et in quinque partes divisa, radicem longam, crassam, et candentem, quae calidae est, aut temperatae naturae, humentisque, et jucundi saporis, contemperandoque fervori satis accommoda. Provenit *Tacapichtlae*, unde cognomen.

CAPUT XXXIX.

De CACAMOTIC *altera.*

Radicem agit *Batatae* similem, candentem, frigidam, et nimio adversantem calori, fructum Ciceris forma, et folia Ulmi, quam quoniam cum aliis hujus nominis facultate convenit, non curavimus depingendam.

CAPUT XL.

De CHARAPU, *seu arbore crepitante.*

Brasilii vocati seu Cotini CHARAPU est species. Arbor Persici magnitudine, foliis Lauri, et floribus valde exilibus summis ramulis appendentibus, unde prodeunt acini glo-bulis precariis parandis aptissimi, nigri coloris, grati aspectus, et spondylorum, nucumve ponticarum magnitudine, et figura. Frondes acrem quemdam saporem praeferunt haud sine quadam adstrictione, et amaritudine, e quibus observatis facultatibus facilè ab his, qui me sequentur, usus investigari poterunt: adhuc enim indigenae nihil, quod ad medicinam spectet, narrant de hac arbore. Nascitur in calidis regionibus provinciae *Mechoacanensis*; ubi ajunt pulvere in flumen insperso pisces torpescere, ita ut capi facilè possint, et fructum vicem smegmatis lavandis vestibus praebere.

CAPUT XLI.

De COPALQUAHUITL, *seu arbore gummifera.*

Arbor est procera, foliis querneis forma et magnitudine similibus, sed longioribus, fructu obrotundo purpurascente, et sapore gummi quod stillat ab eadem. Id interdum sponte fluit, interdum verò evocatur scarificata arbore; appellaturque peculiari nomine *Copalli*, etsi Indis haec dictio quodlibet gummi genus significare soleat. Quo fit ut arbos ipsa dicatur COPALQUAHUITL, quasi *Copalli* arbos. Liquor hic, quemadmodum jam universae circiter Europae innotuit, candidus ac translucidus est, et concretus in formam assularum latiorum, etsi e nonnullis arboribus praedictae haud dissimilibus *Xicalani Vruapae* provinciae *Mechoacanensis*, de quibus Capite quadragesimo sexto hujus Libri agemus, fluat pallidum aureumve, et *Anime* perquamsimile, adeo ut congener possit existimari. Tertio ferè calidus ordine et exsiccantis adstringentisque nonnihil naturae, facultatis discussoriae, et odoris, si in ignem projiciatur, adeo suavis, ut mos fuerit eo thymiamate, aut suffimento (quamvis *Tecopalli* quoque ejusdem rei gratia usi sint) solo supplicare deos, eodemque primos hujus orbis expugnatores, quos *Teteuh*, id est *deos* rudis illa ac imperita gens vocabat, exceperint. Capitis dolorem idem gum-

mi, velut et ipse arboris stipes, aut radix si ex frigida causa contigerit, suffitu levat, uteri strangulatui medetur, et ut universim dixerim, morbis omnibus auxiliatur, qui ex frigida, humidaque causa orti sunt. Provenit in calidis *Quauhnahuacensibus*, et *Mechoacanensibus*, planis montosisque, sed humectis locis. Verùm nonnihil intercedit discriminis montanam et campestrem, tum formae arboris, tum coloris ipsius liquoris; quamobrem seorsim alterutram pictam exhibemus. Cortex stipitum Anethum olet sapitque, ipsumque fluens gummi, et adstringenti quadam vi sentitur pollere.

CAPUT XLII.

De COPALQUAHUITLPATLAHOAC, *seu arbore Copalli latifolia.*

Quamvis Indis mos sit vocare per antonomasiam COPALQUAHUITL, velut admonui, eam arborem, quam descripsi praecedenti Capite, et ejus gummi *Copalli*; tamen universim quamlibet arborem, gummi manantem odoro, eodem modo nominant; nostri verò eas solas, quae candidum fundunt; quae verò in fuscum colorem inclinantem, et quod thuri sit quamsimillimum, Indici thuris aut *Animi* peregrini plantas. Cum verò animus semper fuerit cum distinctione loqui, permultaque arborum genera hujusmodi liquorem fundant, quarum aliae congeneres sunt, aliae verò longè inter se differentes; de eis seorsim agemus, et ejus gummi differentias

omnes, etsi similis circiter facultatis esse reperiantur, cum suis arboribus erunt nobis percurrendae, facto ab arbore in principio Capitis proposita exordio. Ergo ea arbos ab amplitudine foliorum, qua ceteras congeneres videtur excedere, ita vocata, mediocri constat magnitudine inconditaque, foliis serratis, et Rhoi obsoniorum perquam similibus, tum colore squallenti, tum etiam magnitudine et forma, sed pennatis stipitibus et ramis. Gummi candidum exhibet, nec absimile illi, quod stillat e *Copalquahuitl*, parciùs tamen. Nascitur regionibus calidis, ac praecipuè *Quauhnahuacensibus*, ubi eam arborem passim vidimus nascentem, etiam intra ambitum oppidi, ac curavimus depingendam; possetque, ut ego quidem conjecto, in Hispaniae ferventiores agros non omnino inutili opera per maria deportata transferri.

CAPUT XLIII.

De TECOPALQUAHUITL, *seu Copálli montana.*

TECOPALQUAHUITL arbor est mediocris magnitudinis, folia Unedonis ferens, fructum glandibus similem, quemdam velut strobilum continentem, opertum lubrica et resinosa quadam saliva, atque includentem intra se nucleum candidum ad multa utilem. Fluit ab hac arbore gummi illud thuri antiquorum odore, sapore ac viribus adeo simile, ut illi reputem esse congener, nam et in Philippicis insulis

nasci copiosè audio; quo factum est ut ab Hispanis hujus orbis thus ore pleno vocetur, quamvis a quibusdam *Anime* Indicum dicatur. Calidae sunt tertio ferè ordine, siccaque et paululùm adstringenti natura omnes propemodum hujus arboris partes, odorisque gratissimi. Ventriculum, cor, cerebrum, uterumque suffitu corroborant, fluxiones coërcent, pituitam absumunt, rigores febrium arcent, et fovent membra perfrigerata, vulvamque procidentem in suum locum restituunt, atque reponunt, deciduamque confirmant, ac velut affigunt. Provenit in calidis *Papaloticpacensibus*, possetque ad fervidiores Hispaniae regiones transferri.

CAPUT XLIV.

De TECOPALQUAHUITL *Pitzahoac, seu tenuifolia.*

Reperi, dum apud *Tepoztlanenses* describendarum herbarum gratia agerem, necnon apud *Hoaxtepecenses*, arborem aliam mediocrem, stillantem lacrymam thurisve speciem in candidum vergentem colorem, sed perfusum fusco, eisdem viribus et odore praeditam, quibus praecedens, sed foliis ex utraque ramulorum parte ordine compositis, parvis, minimè serratis, et rutaceis paulò majoribus; fructu verò parvo, coccineoque et piperi rotundo forma non absimili, singulis binisve acinis per intervalla ramorum appendentibus. Gummi hujus arboris permistum for-

micarum et puerorum stercori ajunt unciae unius pondere bis terve epotum insanientibus citra febrem mederi.

CAPUT XLV.

De XOCHICOPALLI, *seu Copálli florenti.*

Arbor est mediocris folia fundens Menthae, sed profundiùs serrata, ternaque ac stipites impensè odoros, stillans liquorem fulvum, ac limonum odorem magnopere referentem, generibus thuris Indici annumerandum, nam et arbor ipsa congener est, eisdemque gummi praeditum viribus, verùm efficacioribus. Nascitur in calidis *Collymae*, atque etiam *Mechoacanensis* regionis. Est et alia arbos eodem nomine, et liquore, sed foliis *Toloxochitl*, quae apud *Teocaltzincenses* provenit.

CAPUT XLVI.

De MIZQUIXOCHICOPALLI.

Mizquixochicopalli, quam alii *Xochicopalquahuitl* vocant, arbor est magna foliis Mali Medicae, et stipite candicantibus punctis distincto, fructu pruno simili, et floribus coccineis et modicis. Gummi fundit e fulvo in purpureum vergens, *Anime* vocatum a quibusdam, ab aliis verò *Copálli*; maximi habetur ad cetera, quibus alia hujus generis inserviunt, praestanda, sed praecipuè ad odoramen-

ta, et capitis roborationem. Nascitur *Copitlani* et *Collymae* ferventibus locis.

CAPUT XLVII.

De COPÁLLI *Tototepecensi.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, virore tinctis exsaturato. Gummi stillat *Copálli* persimile, quod in assulas quoque candentes, atque illis similes cogi solet, in eosdemque recondi usus.

CAPUT XLVIII.

De COPALXOCOTL, *seu arbore gummosa pruna ferente.*

Arbor est, foliis subrotundis Prunis Hispaniensibus forma similibus, sed fructu modicis malis, qui praedulcis est, valdè adstringens et salivam stillans impensè glutinosam. Haec illitu febres curat, medeturque dysenteriis, ac diarrhoeis. Materies est operibus intestinis aptissima, et ad divorum simulacra efformanda ceteris praestantior : nam praeterquam quod se facilem artificibus praebet, nec findi, neque putrescere, aut corrumpi est promptum. Resipit gummi *Copalquahuitl*, unde nomen. Provenit regionibus calidis, ac praecipuè *Mechoacanensibus*, ubi *Popoaqua* solet vocitari.

CAPUT XLIX.

De altera COPALXOCÓTL.

Est et altera eodem nomine arbos, sed foliis majoribus, quamquam similiter obrotundis, et in parvam cuspidem desinentibus, fructuque prunis aut nucibus juglandibus forma et magnitudine simili. Hic impensè adstringit, conglutinatque, et est, si decoquatur, edulis ac saporis grati, praecedenti par, viribusque et forma congener. Ossis nucleus gustu suavis est, et leprae curandae, si eo corpus illinatur, perquam accomodus. Nascitur *Tlacuiltenanci.*

CAPUT L.

De COPALXIHUITL, *seu herba Copálli redolente.*

Frutex est COPALXIHUITL quatuor dodrantes longus, multos proferens ramos, caules lignosos, paulisper fulvos, folia Ocymi, sed obrotunda, infernè squallentia, supernè verò viridia, rara, et aliquantisper serrata, et baccas rubescentes. Odorem suavem spirat, ac Thymi saporem praefert. Calida est et sicca ordine tertio, febrium arcet typos, ac succus expressus confert oculis. Nascitur *Teuhtioacani*, juxta tesqua, asperaque et saxosa loca.

CAPUT LI.

De CUITLACOPALLI, *seu stercore Copálli.*

Arbor est mediocris magnitudinis, foliis obrotundis, parvis, acinisque racematim dependentibus, Oxyacanthae similibus, valde odoratis, glutinosisque. Gummi fert candidum, subodorum, ac valde durum. Calida ordine ferè tertio et humenti natura constat, vocaturque a quibusdam *Xioquahuitl*, quod stipes lepra infectus videatur. Nascitur calidis regionibus *Tyauhtepecensibus*, montosis, saxosisque locis.

CAPUT LII.

De TEUCOPALLI, *seu Copálli Dei.*

Herba est TEUCOPALLI fibratae innitens radici, unde caulem fundit cavum, Ferulae similem, geniculatum per intervalla et candentem: folia *Acocotli*, seu *Ligustici Indici*, et in extremis caulibus fructum comantem in muscarii modum, sed exiliorem, et flores lanuginosos. Calida natura constat, atque adeo radix ejus in pulverem redacta, additaque *Nanahuapatli Toholanensi* tuberculis e gallico procedentibus morbo mederi solet. Regionibus provenit calidis.

CAPUT LIII.

De COPALQUAUHXIOTL, *seu de leprosa arbore fundente Copálli.*

Arbor est COPALQUAUHXIOTL excelsa, laevis, et quae facilè membranam externam exuat, unde nomen: foliis parvis oblongis, et rutaceis, sed majoribus, et longioribus: fructu acinoso, sed singulatim dependente. Liquorem et haec resinosum stillat, *Copálli* colore et odore similem, sed parcum. Calida arbos est ac sicca ordine tertio, odoraque, non sine quadam adstringentia. Eumdem liquorem dilutum ex aqua immiscent *Copálli*, atque ita ajunt egregiè sistere diarrhoeas. Nascitur in calidis *Texaxahuaci* regionibus, montosis et asperis locis.

CAPUT LIV.

De COCOPALTZIN, *seu parva Copálli.*

Herba est COCOPALTZIN radici fibratae insistens, unde oriuntur caules multi, teretes, tenuesque, foliis ornati Alsines, ex utraque parte caulium ordine dispositis. Calida herba est et resinosa, unde sumsit nomen. Nascitur in calidis *Tepoztlanicis.*

CAPUT LV.

De COCOPALTIC, *seu planta simili Copálli.*

Herba est crassae insistens radici, purpureae, ac surculosae, unde profert caules, e rubeo in cinereum elanguescentes: et in eis folia Ocymi, sed majora: fructum acinosum, viridem, racematim dependentem, et modicum. Radix calida est, odora, et adstringens, unde nomen. Jus decocti infunditur enixis nimiùm defatigatis sub partum, lassatisque hominibus, et nimio perfractis labore. Provenit montosis *Chiauhtlae* locis.

CAPUT LVI.

De COPALTIC, *seu arbore fundente gummi simile Copálli.*

Excelsa arbor est, laevis, epidermide cuticulave supernè vestita, quae suapte natura desquamatur; unde nomen; Ocymi foliis, fructu Oxyacanthae paulò majore, primò viridi ac tandem coccineo. Resinam haec fundit candidam, et paulisper odoram, sed modicam, quae ex aqua devorata, ubi statim in lac solvitur, unius oboli mensura, aut per se solùm, aut permista *Copálli*, sistit dysenterias, et sanguinem undecumque fluentem cohibet: vitandum tamen est auctius pondus. Cortex ligni calidus est ordine secundo, odorus, et grati saporis, non sine siccitate et ama-

ritudine quadam; hoc est gummi illud candidum, quod apud Mexicanos circumfertur, habeturque maximi in compescendis dysenteriis. Nascitur in calidis locis montosisque *Texaxahuaci*. Sunt qui *Ytztacquauhxihotl* vocent.

CAPUT LVII.

De *QUAUHXIOTL*.

Arbor est, cujus cortex interiorque ligni pars rubra sunt, exterior candens, et stipites rubei, folia numerosa, obrotunda, firma, laevia, granulis distincta, ac velut commaculata: flores circa mediam arborem quoque rubei ac orbiculares, fructus contusus Thlaspi modo et lente major. Cortex tritus atque impositus scabiem curat. Succus germinum sorbetur adversùs tussim, et pectoris asperitatem; frigidus tamen est, siccusque, et nonnihil adstringens: fortassis verò evenit sedato calore, atque ita destillatione cohibita, aut a portione quapiam leniente admista ceteris. ¿Quid mirum experimento compertum ab Indis Medicis esse ita evenire, cum ipse periclitatus sim plantas valde adstringentes permistas vino *Metl* mirè urinam evocare, et alia his similia, quae primò videntur falsa; cùm verò attentiùs considerantur, atque expenduntur, non citra rationem accidere censentur? Sed haec omnia propriis reddentur locis, Christo optimo maximo aspiran-

te. Provenit in montium cacuminibus apud *Ytztollucenses.*

CAPUT LVIII.

De YZTACQUAUHXIOTL, *seu Quauhxiotl alba.*

YZTACQUAUHXIOTL, quam alii *Quauhxiotl* vocant, arbor est mediocris, foliis obrotundis, et stipitibus atque pediculis rubescentibus. Gummi stillat candidum, acris saporis ac tertio, ut videtur, ordine calens. Cohibet hoc alvum fluentem devoratum ex aqua scriptuli mensura, et dysenteriis mirum in modum opitulatur. Quin dolores illitum sedat, ac discutit praeter naturam tumores; aquam, in quam infunditur, lacteo tingit colore. Est et aliud genus eisdem praeditum viribus, formaque, vocatum *Tlatlahuicquauhxiotl*, sed gummi manans rubescenti, ut nomen indicat. Provenit in calidis *Ytzocani.*

CAPUT LIX.

De TECOMAHACA.

Arbor est magna, folia ferens obrotunda, serrata, et mediocria, ac fructum in postremis ramorum flagellis parvum, obrotundum, fulvum ac refertum semine, nucleo persici haud absimili. Acris planta est, et odorata cum quadam adstrictione, calidaque et sicca ordine tertio. Fluit ab hac arbore scarificata aut incisa, et interdum etiam

sponte sua, lacryma nulli ferè ignota, eadem praedita temperie, et viribus, quam plerique loco myrrhae substituunt, dolores a flatuoso spiritu frigidave causa ortos sedans, flatus ipsos discutiens, utero amica, ventriculum roborans, sistens menses, atque destillationes emplastri modo imposita, quae ulceribus etiam nervorum opitulatur, dolores dentium sedat, frigus pellit, cerebrumque et nervos resolutos fortificat. Nascitur apud *Mistecas*, necnon *Tancitari* regionis *Mechoacanensis*, possetque in provincias nostri orbis paulò calidiores vel mediocri negotio transferri.

CAPUT LX.

De TLAHOELILOCAQUAHUITL, *seu de arbore insaniae.*

TLAHOELILOCAQUAHUITL, quam Hispani *Carannam* vocant, arbor est magna, fulvos stipites fundens, laeves, nitidos, et odoros: folia *Tecomatl*, eodem modo in crucis formam composita. Odora arbos est, gustu acris, et nonnihil adstringens. Gummi, quod ab ea fluit, *Carannam* quoque vocari audio, eisdem ferè viribus, quibus *Tecomahaca*, praeditam, sed vehementioribus. Pulvis ipsius stipitis devoratus mirè ventriculum et cor firmat, flatus discutit, frigidam emendat distemperiem, et uterinos curat affectus. Fama est apud indigenas cacodaemones eam arborem pertimescere, ac fugere et fascino adversari; corticem verò ex aqua illitum con-

ferre cordi, devoratum autem cum *Cacaoatl* pectori simul et cordi ferre suppetias. Nascitur apud *Mechoacanum* et *Mistecam* inferiorem.

CAPUT LXI.

De HOITZILOXITLANETHINA, *seu arbore resina manante.*

Arbor est mediocris, Liquidambaris plantae par, stipites edens laeves, rectos, extra exsaturato virore tinctos, intra verò candentes, folia serrata, acuminata, oblonga, et ocymminis quadamtenus similia: flores parvos, e candido in luteum colorem vergentes. Gustu arbos haec est, atque etiam odore quavis sui parte mirè refert Anethum, ejusque effectus praestat, verùm efficaciores, nec sine quadam adstringentia; calida enim siccaque prope ordinem tertium videtur natura. Folia tusa illitaque frigora febrium arcent. Jus decocti corticum urinam et sudorem evocat, obstructa aperit, quartanam curat, trahit menses, cor roborat, tumores praeter naturam discutit, medetur satietati, firmat ventriculum; ac vapor decocti scorpionum ictibus medetur, et gummi odoratum fundit. Nascitur in calidis regionibus *Quauhnahuacensibus*, et ubicumque ligni frustum infodiatur, agit statim radices. Diversa autem arbos est ab ea, quae Foeniculum resipit, nasciturque apud *Floridam* regionem, et jam apud Hispanos sub nomine *Saxifragae* circumfertur, quam

tametsi adhuc reperire apud novos Hispanos non potuerim, audiamque apud *Mechoacanenses* provenire ; ex ramo ad nos e *Floridis* allato et descripsimus et curavimus depingendam.

CAPUT LXII.

De HOITZILOXITL, *seu arbore Balsami Indici.*

Quam plantam *Panucini Chucte* vocant, nostri verò Indici Balsami arborem, Mexicenses *Hoitziloxitl*, seu *affluentem resina* nuncupare consueverunt, quòd liquorem effundat Syriaco Balsamo simillimum, neque odore aut viribus inferiorem, arbos est Mali Medicae magnitudine, foliis Amygdali, majoribus tamen, obrotundioribus, et magis acuminatis : floribus in extremis ramorum flagellis, luteis, initio loculorum oblongorum forma, sed procedente tempore quorumdam velut foliorum ceteris longiorum, et latiorum ; in quorum extremitatis cavitate semina inclusa continentur candentia, et in quemdam pallorem inclinantia, oblonga, et paulisper contorta, seminibus Mali Medicae similia, aut veriùs his, quos *Haitini* vocant *Manies*, ac saccharo velut strobilos nostri incrustare solent, de quibus suo loco est dicendum a nobis. Inciso ergo quovis anni tempore hujus arboris cortice, stipiteve, sed praecipuè exactis jam atque desinentibus imbribus, liquor ille nobilis toto orbe celeber, necdum satis laudatus stillat, quem *Balsamum* appellant,

e fulvo in nigrum inclinans colorem, sapore acri, et paulisper amaro, odore vehementi, sed tamen gratissimo, quarto ferè ordine siccus ac calidus, subtilium partium, non sine quadam adstrictione et corroboratione. Extrahitur idem decoctis etiam surculis minutim incisis ex aqua, et vitro excepto innatanti liquore, sed viribus inferior, innumeris morborum generibus propellendis, atque sanandis utilis: nam tres quatuorve guttae matutino ante cibos linctae ventriculum a frigida causa imbecillem confirmant, urinam et renum vesicaeque excrementa evocant, pelluntque e corpore, aperiunt obstructa, ac medentur respirationis difficultati. Ventriculi et alvi dolores sedant, commendant colorem, ac juvenilem vigorem diutiùs conservant, et tuentur. Quin liquor ille in pessulos efformatus ac obditus vulvae secundas emortuosque infantes trahit, partum accelerat, et sterilitatem a frigidis humidisque ortam humoribus profligat. Dolores ab eisdem causis enatos, ubicumque contingant, extrinsecùs illitus sedat, flatum et tumores praeter naturam discutit, cerebrum corroborat, nervorum origini impositus auxiliatur paralysi, et eorum gelidis omnibus medetur morbis. Colicis, iliacisque et articulorum doloribus mirè est utilis. Quin vulnera recentia conglutinat, et sanat inveterata, ac diutinarum febrium repetentia frigora cervici dorsoque illitus pellit. Idem praestat ab ipso semi-

ne expressum oleum, mitiùs tamen, benigniùs ac molliùs, quamvis acre quoque sit, gratissimi odoris, gustuque et odorum et suave, et tertio calorificum ordine; quod nos omnium primi curavimus praelo extorquendum: est autem oleo, quod ab amygdalis amaris, aut nucleis persicorum exprimitur, sapore atque odore simile, sed odoratius, vehementius, et acrimoniae longae majoris. Regionibus provenit calidis, qualis est *Panucina*, unde impositum nomen: est et ad *Hoaxtepecenses* hortos a Regibus Mexicanis delitiarum et magnificentiae gratia translata, ubi eam rursus vidimus editis ac montosis locis, etsi ad campestria jam hominum cura, atque indulgentia descenderit, cultaque et hortensia velut coacta amet; unde sperare aliquis possit loca Hispaniarum calidiora minimè refugituram. Sunt et alii liquores simplices atque compositi, quos eodem nomine Hispani, qui ad has regiones penetravere, appellant; verùm de eis tum inter *Haitinas*, tum inter has Novae Hispaniae plantas, a quibus stillare pararique solent, Domino concedente loquemur.

CAPUT LXIII.

De TZINACANCUITLAQUAHUITL, *seu arbore ferente gummi simile stercori vespertilionum.*

TZINACANCUITLATL, quod *Laccam officinae* vocant, gummi est arboris inconditae, ac mediocris magnitudinis. Haec

folia fert *Mizquitl* brevia tenuiaque ex utraque ramorum parte serie quadam procedentia, stipites ac ramos purpureos, obtectos gummi, quod diximus, nequaquam a formicis elaborato, ut quidam per inscitiam putant, sed ab ipsis arborum ramis undiquaque stillante, et eisdem velut tubuli quidam adhaerescente. De usibus ejus Arabes rogentur, ne nos rursus dicta dicamus in tanta praecipuè temporis angustia, et rerum describendarum copia. Illud etiam notum est admista resina massam ex eo gummi parari, quam *Lacram* corrupta dictione vocant, signandis litteris, aliisque schedis aptissimam; addita verò his arena crassiuscula, tusa, percoctisque omnibus in placentulam cogi, quae admota igni e vestigio emollescat, perfrigerata verò eam duritiem ac firmitatem contrahat, quae ferrum, lapides et gemmas excedat, rumpatque, quod nos experimento ipso cognovimus. Nascitur apud *Metztitlanenses*, apud quos eadem *Tlahoitolquahuitl*, vel *arcus arbor* consuevit appellari.

CAPUT LXIV.

De CHICHIOAQUAHUITL, *seu arbore nutricis.*

Arbor est CHICHIOAQUAHUITL mediocris magnitudinis, foliis obrotundis, mediocribus, mollibusque. Lacte manat, unde nomen, floreque et fructu, ut referunt, caret. Frigida et sicca temperie constat, admodumque adstringente

natura; quo fit, ut pulvis paratus e radicis corticibus medeatur ulceribus, eademque cicatrice obducat. Provenit montium lateribus regionum calidarum, qualis est *Quauhnahuacensis.*

CAPUT LXV.

De CHICHIOALPATLI, *seu mammarum medicina.*

Radices fundit CHICHIOALPATLI multas, candentes, et longas, ab unica radice prodeuntes: caules binos cubitos longos, et in his folia Amygdali serrata, ampliora tamen, et graciliora, florem luteum rubris lineis intercursantibus insignem, oblongum, et calyculorum formam referentem, cujus extremum quiddam anguinae linguae simile occupat. Frigefacientis est atque humectantis temperiei. Succus radicis mammis illitus earum lac auget, unde nomen; et alios huic temperiei peculiares effectus praestat, quos gratia brevitatis singulatim non duximus enarrandos; etsi Indi Medici unam tantùm aut alteram cujusque medicamenti facultatem norint, et hanc magna ex parte praecipuam.

CAPUT LXVI.

De CHICHIOALXOCHITL, *seu mammarum flore.*

Arbor est CHICHIOALXOCHITL mediocris, stipites medulla refertos fundens, teneros, et lacte manantes; *Papayae* vocatae arboris folia, Ricinive, sinuosa scilicèt et magna;

tres enim aequant longitudine spithamas, quatuorve, ac tres amplitudine. Fructus adnascitur stipitibus, quod etiam evenire videmus apud veterem orbem Sycomoro, apud hanc verò Novam Hispaniam arboribus permultis, quales sunt genera *Xocotl*, seu *Prunorum*, *Xiloxochitl*, *Hoeipochotl*, *Quauhcacaoatl*, *Cozcaquahuitl*, *Tecomatl*, *Tezontzapotl*, *Xicotltzapotl*, *Papayae*, et aliae similes, de quibus suis locis dicetur. Est autem fructus luteus et oblongus, initio tamen viridis, melonis mediocris magnitudine, saporeque et odore. Floris usum praestat ac postea cibi: interna ex albo circa initia rubescunt, procedente verò tempore fiunt nigra, et gossypina videntur intersectis globulis tribulo similibus aut bellariis e Mali Medicae flore parari solitis. Radix est Napo similis plurimis adnascentibus surculis; flos verò albus et similis *Omixochitl*, quaternis constans foliolis, praegrati, atque jucundi odoris.

CAPUT LXVII.

De YTZCUINCHICHIOALLI, *seu mamma canina.*

Radicem fundit YTZCUINCHICHIOALLI fibratam, caules quadratos, striatos, duos dodrantes longos, et geniculis interceptos, folia Chamaedryos, et flores parvos ac luteos. Odora est, secundo ordine calefaciens, exsiccans, atque adstringens. Pulvis foliorum medetur ulceribus, si aqua, cui

fuerit immistus, quotidie bis abluantur. Est etiam utilis diarrhoeis. Nascitur in planis ac calidis locis *Tepecuacuilcensibus.*

CAPUT LXVIII.

De QUAUHCHICHIOALLI, *seu mammarum arbore.*

Arbor est magna QUAUHCHICHIOALLI, quam *Ytzocanenses Axoloquahuitl*, seu *arborem Axolotl* vocant, foliis ternis, Rhombi figura, mediis tamen majoribus, purpureis stipitibus, ac fructu cymbalorum forma pendenti, nec plurimùm balsamino absimili. Radix est praedulcis, ac grati saporis: frigida constat temperie: propinatur enixis, quando ducuntur in *Temaxcalli* corroborandorum membrorum gratiâ. Cancerosis ulceribus in pulverem redacta medetur, nonnihil adstringit, atque fluentem alvum coërcet: exhibetur quoque ad placandas febres, et puerorum appetentiam excitandam. Provenit *Quauchichinullae*, agri *Quauhnahuacensis.*

CAPUT LXIX.

De TZAGUANGUENI.

TZAGUANGUENI, quam alii a natali loco *Zacualpensem plantam* vocant, alii *Totolicxitl*, alii *Comalquilitl* et *Mechoacanenses Xezetzi*, radici innititur fibratae, unde profert caules sex dodrantes longos, folia angusta et prolixa, magnaque ex parte quina, et similia *Ytztauhyatl*, seu *Indico Ab-*

sinthio, ac coccineos flores. Admota haec haemorroidibus, aut brachio appensa, eas exsiccat, atque corrugat. Provenit *Zacualpae*, et *Quauhnahuaci* campestribus udisque locis.

CAPUT LXX.

De CHICHICAQUILITL, *seu olere aquatili amaro.*

Radices fundit capillis similes CHICHICAQUILITL, et inde caules cinereos, foliis ornatos obrotundis, mediocris magnitudinis, luteosque et calyculorum forma flosculos. Frigida natura constat. Jus decocti ejus bibitur adversùs sanguinis eruptiones, atque puncta, quae febres synochas comitari solent. Campestribus humectisque locis nasci gaudet, agrorum praecipuè Mexicanorum.

CAPUT LXXI.

De CHICHICAQUILITL *secunda.*

Radicem profert CHICHICAQUILITL *secunda* longiusculam et tenuem, exiles cauliculos, teretesque, et in summo eorum flosculos purpurascentes ex albo, et in pappos tandem abeuntes in calyculis scariosis: folia verò Coronopi. Ad Cichorii species videtur pertinere, frigidaque temperie constat, etsi partes quasdam amaras participet, unde ortum est nomen. Satietati puerorum medetur, foliorum atque radicum decoctarum jus diarrhoeas coërcet, punctis opitu-

latur, exanthemata exsiccat, febres exstinguit, visum clarificat, pruritum sedat, calorem capitis puerorum exstinguit, ac ferventem sanguinem et cutem in tubercula sese attollentem refrigerat. Jus decocti ejus, salisque et fuliginis bibitum dicitur fluxum nimium menstruorum coërcere. Nascitur temperatis regionibus, ac locis humentibus, velut *Acuitlapani*, ubi ajunt folia tusa et admota ulceribus et tumoribus praeter naturam mederi, praecipuè si eadem semunciae pondere in pulverem redacta devorentur. Sunt qui *Tlalmatzallin* vocent.

CAPUT LXXII.

De CHICHICQUAHUITL, *seu arbore amara.*

Arbor est CHICHICQUAHUITL magna, folia Mali Medicae ferens, florem candentem, et magnum, ac fructus ossiculis olearum paulò ampliores, simili tamen forma nucleum candidum continentes. Amari est saporis, unde nomen: odora, calidaque ordine tertio, atque exsiccante natura. Folia trita, illitaque scabiem curant, et tumores praeter naturam discutiunt, satietati medentur devorata, et ventriculi acori. Cortex laevigatus et trium drachmarum pondere epotus dysenterias sistit, ventriculique, alvi, et pectoris dolorem a causa frigida ortum sedat. Provenit *Oapáni*, *Teoitztlae*, *Xalatlaci*, *Tetzcoqui*, et *Hoeyacocotlae*, re-

gionibus nempe calidis, temperatis ac frigidis, et montosis atque campestribus locis, nullum caeli statum, nullumque refugiens solùm, sed ubivis sponte luxurians. *Tilancenses Mistecae* superioris *Ezquahuitl* vocant.

CAPUT LXXIII.

De CHICHICQUAHUITL *secunda.*

Arbor est CHICHICQUAHUITL *secunda* praecedenti similis, sed foliis longè minoribus, floribus luteis et magnis, fructu minori, dulcique et amaro sapore promiscuè constans. Jus decocti, aquave, ubi cortex maduerit, juvat pectus, menses evocat, alvum infusa extergit, dolores a frigore ortos sedat, colicisque, et iliacis opitulatur affectibus: item atshmati ceterisque recentibus, aut inveteratis pectoris morbis. Nascitur in calidis *Oapáni.*

CAPUT LXXIV.

De CHICHICQUAHUITL *tertia.*

CHICHICQUAHUITL *tertia*, quam distinctionis gratia *racemosam* vocare possis, arbor est magna, foliis Mali Medicae, acinis nigris racematim dependentibus, unde cognomen. Amara est valde, calidaque et sicca ordine tertio natura. Cortex in farinam redactus medetur ventris dolori, satietati, colicae, flatui, ac frigori. Mexicanis emporiis sunt sti-

pitum cortices venales ad praenarratos usus. Nascitur juxta *Aethnae* radices, non procul ab *Attatacco* oppido ignobili.

CAPUT LXXV.

De CHICHICQUAHUITL *volubili.*

Volubilis planta est, folia ferens Limoniae Mali. Appetentiam excitat, ventriculum frigidum calefacit roboratque. Amara constat ac salivosa natura, et tertio ferè calefacit ordine. Nascitur *Hoaxtepecensibus* agris, ubi eam offendimus.

CAPUT LXXVI.

De CHICHICXIHUITL, *seu herba amara.*

Herba est CHICHICXIHUITL, ut nomen indicat, amara, crassae et fibratae insistens radici; ex qua prodeunt caules multi, folia serrata, proxima querneis, sed magis acuminata, flores in summa parte caulium, qui non consenescunt, pilis similes, ac tandem abeuntes in pappos, manente semine longiusculo et nigro. Amara, ut diximus, est, ac tertio calens ordine. Liquor ejus permistus succo *Neuhtic*, et foliorum *Copalquahuitl*, et *Tlaolton*, aequa singulorum mensura, si omnia excipiantur melle ceterorum aequante pondus densenturque in emplastrum, atque affigantur lieni obstructo, permittanturque aliquandiu adhaerescere, resera-

tur id viscus nigris attrabiliosisque succis inde discussis, atque evocatis.

CAPUT LXXVII.

De TEPETLACHICHICXIHUITL, *seu herba amara in montibus provenienti.*

TEPETLACHICHICXIHUITL, quam alii *Chichicxihuitl* vocant, herba est radici insistens fibratae et candenti, unde proferuntur caules tres spithamas longi, tenues, fusci, rotundi, ac laeves: folia Chamaedryos odora, et serrata, aspera et subalbescentia infernè: flores in summis caulibus pallescentes e candido, atque pilosi in stellularum modum, unde oritur oblongus ac parvus fructus. Radix est odora, et tertio ordine calens atque sicca, et subtilium partium, non sine amaritudine, unde nomen. Herba est magni momenti, et cujus decocti jus satietati et pectoris affectionibus plurimùm inserviat, semel singulis quibusque diebus matutino propinatum: pituitam enim, atque bilim per superna infernaque expurgat. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT LXXVIII.

De CHICHICPATLI *prima, seu medicamento amaro.*

Herbula est CHICHICPATLI foliis Ilicis nostratis, cujus pulvis devoratus medetur dolori ventris, satietatique. Ama-

ra enim est, ut indicat nomen, et calidae naturae. Provenit regionibus calidis *Quauhquechullae.*

CAPUT LXXIX.

De CHICHICPATLI *secunda.*

Volubilis est genus, radice crassa et surculosa, foliis Amygdali, sed latioribus. Cortex radicis duarum drachmarum pondere devoratus alvum fluentem cohibet, ac flatum discutit: amara enim est, ac tertio ordine calefaciens cum adstringentia insigni. Nascitur in calidis saxosisque locis, adeoque *Tepoztlanensibus.*

CAPUT LXXX.

De CHICHICPATLI *tertia.*

Caulem profert Jasmini, per intervalla singulorum dodrantum geniculatum, prodeuntibus e singulis nodis binis foliis amygdalinis, et radices crassas ac longas. Curant hae unciae unius pondere tritae ac devoratae ex aqua, aut vino, satietatem, atque intemperiem frigidam ventriculi, et quosvis frigidos pectoris morbos temperant; calefacientes enim sunt ordine tertio, et amaro sapore. Nascitur in calidis *Tepoztlanensibus* asperis et montosis locis.

CAPUT LXXXI.

De CHICHICPATLI *quarta.*

CHICHICPATLI *quarta*, quam distinctionis gratia a loco natali *Teocaltznicensem* vocare possis, radicem fundit surculosam, caules cinereos, praelongos: et in eis folia Mali Medicae tenuia, mollia, et oblonga, ac flores luteos et comantes. Radix est amara et adstringens, calidaque et sicca ordine tertio. Jus decocti ejus coërcet diarrhoeas, satietatique et membris perfrigeratis mederi solet. Nascitur in calidis et saxosis locis.

CAPUT LXXXII.

De CHICHICPATLI *quinta, seu Tlacotepecensi.*

Herba est duas spithamas longa, radicibus innixa surculosis, fibratisque, unde fundit caules: et in eis Limoniae Mali folia. Amara est, calidaque et sicca ordine tertio. Ventris medentur inflationibus hydropique radices unciae unius pondere siliquastro permistae, si redactae in farinam ex aqua Absynthii Foeniculive devorentur. Provenit juxta montium *Ocortucensium* fauces. Est et alia minoribus foliis, quae quoniam eadem facultate constat, neque a me enarratur, neque imagine exprimitur.

CAPUT LXXXIII.

De CHICHICPATLI *sexta.*

Radicibus innititur surculosis, fibratisque, unde profert caules tenues, binas spithamas longos, folia Ocymi, serrata, et aspera, quamquam obrotundiora, ac florem candentem. Radices sunt gustu odorae, sapore Siser quadamtenus non sine amaritudine referentes, calidaque et sicca ordine secundo natura, aut ampliùs, subtiliumque partium, atque ita trium drachmarum pondere dicuntur satietati, et pectoris affectionibus mederi. Provenit *Joalani*, calidis atque montosis locis.

CAPUT LXXXIV.

De CHICHICPATLI *septima.*

Herba est foliis Chamaedryos asperis, luteis floribus circa postremos caules coacervatis, et calyculis oblongis contentis, caulibus quaternas ferè longis spithamas, ac radice surculosa. Appetentiam dejectam excitant radices, foliave tusa pugilli mensura, atque ex aqua devorata: tumores discutiunt et maturant, dolorem alvi leniunt, frigori obsistunt, torminibusque flatus discutiunt, scabiem capitis curant et pediculos necant; quae odora sunt, et amari saporis. Radix est amaritudinis expers, odora et acris, ca-

lida siccaque natura, et partium subtilium. Ex qua temperie poterit quivis hanc plantam permultis aliis morborum generibus curandis aptare; egregium enim est medicamentum, et ab indigenis habitum maximi. Provenit *Tztolucae* inter sata.

CAPUT LXXXV.

De CHICHICPATLI octava, seu Mactlactlanensi.

Tlatlancuayae similis est, atque adeo ejus species. Devorantur folia, quae calida et sicca sunt, adversùs satietatem.

CAPUT LXXXVI.

De CHICHICPATLI Teotioacanensi.

Tlacoxochitl species videtur CHICHICPATLI *Teotioacanensis*, nam et radices, caules, folia, flores et facultates similia sunt: flores tamen habet haec candentes: illa purpureos; et illius radix saporem Pastinacae praefert, a quo longè abest *Chichicpatli*. Nascitur locis montosis inter saxa.

CAPUT LXXXVII.

De CHICHICPATLI Xoxopancensi.

Herba est adnascens magnis arboribus sylvarum oppidi *Quauhtutulanensis* juxta ramos summos. Tusa ac resoluta ex aqua propinatur longo itinere defessis confractis-

que, aut quamcumque ob causam delassatis; in quem usum semel quotidie potari solet ex aqua, praecipuèque tempore matutino. Amara est, ut nomen indicat, calidaque et sicca ordine tertio natura.

CAPUT LXXXVIII.

De CHICHICPATLI nona.

Radici insistit fibratae, unde proferuntur caules multi, recti et purpurascentes: et in eis folia Mali Medicae angustiora, adjectis aliis parvulis ab eadem origine prodeuntibus, eadem, qua ceterae hujus nominis, natura. Satietati medetur, flatum discutit, et dolorem ventris tollit. Nascitur *Tepuztlani* locis montosis.

CAPUT LXXXIX.

De TLALCHICHICPATLI, seu de herba amara, humili atque terrestri.

Volubilis est sese convolvens arboribus, multosque proferens stipites, tenues, teretes, virides, et per intervalla geniculatos: folia Lini, angusta, longa raraque, et siliquas per intervalla binas, lanugine bombycina refertas, floresque exiles et pallentes. Sapor est amarus, temperies tertio calefaciens et exsiccans ordine, aut ampliùs. Jus decocti ejus discutit flatus, pellitque. Nascitur in mon-

tibus *Xoxichimilcensibus*, ubi eam depingendam curavimus.

CAPUT XC.

De QUAUHCHICHICPATLI, *seu Chichicpatli montana.*

Volubilis est genus QUAUHCHICHICPATLI, folia ferens Limonis, sed latiora, molliaque, ac caules teretes et tenues. Amara planta est, unde nomen, calidaque et salivosa natura. Dysentericis mirè confert radix trita, epotaque ex aqua Plantaginis semunciae mensura. Provenit *Hoaxtepecensibus* montibus adhaerens saxis: insignis herba ob praestantissimos ejus in medicina usus.

CAPUT XCI.

De TECHICHIC *Teocaltzincensi.*

TECHICHIC, seu *herba amara lapidum*, radicem fundit crassam ac surculosam, caules fuscos, laeves, teretes, et tenues, sex dodrantes prolixos: folia similia sagittarum mucronibus, aut peltae amazonicae, non sine intermistis capreolis, alba et aspera; et *Tyauhtlinos* flores in comarum formam coacervatos. Folia sunt amara, calida et sicca ordine tertio. Jus decocti ejus dolores membrorum tollit, singulis quibusque diebus matutino epotatum, donec auferatur dolor. Nascitur in calidis collibus *Teocaltzinci.* Aliam eodem nomine plantam vidi apud *Tacapichtlenses*, amaram

quòque et acrem, foliis trifidis, angustis, et longis, radicibus innixam capillorum forma et aquosis provenientem locis, quae tertio ferè ordine calefacere mihi visa est; ac tertiam aliam apud *Ocoitucenses* radicis surculosae et parvae, florum candentium, et foliorum obrotundorum, Majoranae similium, acrem, odoratam gustu et naturae calefacientis; cujus folia devorata ex aqua dimidii pugilli mensura alvum leniter solvunt. Calefacit, ut videtur, exsiccatque tertio gradu. Offendi alteram herbam hujus nominis inter sata *Ytztolucae*, foliis angustis et longis statim a radice prodeuntibus, caulibus tenuibus et multis, circa extrema spicatis, pungentibusque, et subalbidis, reliquae instar plantae, fibratis radicibus, frigidae et humentis naturae, ac inflammationes repellentis non sine quadam lubricitate. Carebat odore et sapore, quemadmodum videtur magna ex parte decere herbas hujusmodi temperiei.

CAPUT XCII.

De ELOQUILTIC, *seu Eloti olus, quam alii Techichic vocant.*

Radice firmatur ELOQUILTIC longa, et digitum crassa, unde mittit stipites sarmentosos, virore diluto tinctos, rotundos ac tenues, et duos cubitos longos, refertos foliis Mali Persicae, latioribus et tenuioribus, flores albos modicos cristarum forma. Calida est quarto ordine, acris et

amara; ventriculum ob frigus imbecillem corroborat a duarum drachmarum mensura devorata, et medetur satietati. Nascitur in montibus regionum temperatarum, ac Septembri mense floret.

CAPUT XCIII.

De TLACOCHICHIC *Ocopetlayucae.*

Herba est surculosae radici innixa, unde profert stipites tres cubitos longos, teretes et purpureos: folia serrata, Salviae similia, sed aliquantisper latiora, infernè subalbida, ac virescentia supernè, et flores in supremis caulibus candidos, et in pappos abeuntes. Succum unciae unius radicum potatum ex aqua ajunt pituitam per inferna vacuare. Calida est, acrisque et amari saporis. Mederi ajunt *Panucenses* scabiei ventrisque dolori ac splenem minuere.

CAPUT XCIV.

De YZTACPATLICHICHIPILTIC, *seu candida medicina, simili Chichipillin.*

YZTACPATLICHICHIPILTIC, quam alii *Chichipiltic*, alii verò *Tlacochichic* vocant, radici innititur longae, mediocriter crassae, et candenti, ex qua prodeunt caules cubitales, folia parva, leguminibus sapore, odore et forma similia, ac flores purpurei. Tusa haec adhuc virens, et laevi-

gata, plagisque admota inspersave easdem conglutinat, et cicatrice confecta et expurgata sanie obducit et tumoribus praeter naturam medetur; solet etiam pulvis, ubi expedit, albumini ovi, priusquam applicetur, commisceri: quòd si eadem mensura *Tolopatli* adjungatur, egregium fiet medicamen feminis, quarum optatur conceptus; verùm purgato corpore menstrua decentibus medicamentis evocantur, et tandem ori uteri *Olli* et *Poxahoac* admoventur admista, atque ita demum homini generando uterus redditur aptus. Sunt qui praedictis addant, trium drachmarum pondere devoratam radicem febrem vacuatis supernè aut infernè humoribus sanare et excitare mortuam appetentiam. Amara haec est calidaque, et sicca ordine tertio natura et adstringens. Nascitur in montibus *Mexicanis*.

CAPUT XCV.

De CHICHICTZOMPOTONIC, *seu Tzompotonic amara.*

Herba est quatuor dodrantes prolixa, foliis Origani minimè serratis, caulibus tenuibus, radice candenti et surculosa, albis floribus, modicis et comantibus, in papposque abeuntibus. Radix calefacit et exsiccat; eadem sesquidrachmae pondere trita, atque devorata pituitam expurgat persuperna securè ac citra angorem. Nascitur circa colles *Ocopetlayucae*.

CAPUT XCVI.

De CHICHICYZTIC, *seu herba frigida et amara.*

Arbor est parva, foliis Ilicis, sed majoribus, et minimè serratis. Frigida constat natura, et admodum glutinosa; quamquam partibus quibusdam calidis carere nullus tergiversari possit. Medetur febribus, fluxibusque, praecipuè ortis a calore. Nascitur in calidis saxosisque et montosis *Ytzocani* locis.

CAPUT XCVII.

De COAQUAHUITL, *seu arbore anguina.*

Arbor est magna COAQUAHUITL, foliis Menthae, sed minimè serratis, stipites undequaque ornantibus, ac flore purpureo modico; ex quo siliquae per summa caulium gignuntur, palmum longae, a quibus sumsit nomen; contortae enim sunt ac vermes anguesve quadamtenus imitantes, semine lentibus simili, minori tamen refertae. Vis est frigida atque adstringens; quo fit ut aqua, ubi radices aliquamdiu maduerint, febres exstinguat, calidam quamque intemperiem emendet, inflammationibus obsistat, coërceat alvum, et multis aliis ad hunc modum praestandis sit utilis.

CAPUT XCVIII.

De COATEZQUILITL, *seu altero Sisymbrio montano.*

Sisymbrio alteri Dioscoridis similis est, itidemque edulis, sed montosis et arentibus locis proveniens. Nec aliud de ea planta adhuc accepi.

CAPUT XCIX.

De COATETL, *seu serpente saxorum.*

Radicem fundit crassam magnamque COATETL, folia longa, angusta, nec tamen parva, floremque album in corymbis. Radix imposita lethiferis glandulis medetur, et locum, cui admovetur, exurit.

CAPUT C.

De tricuspide COANENEPILLI, *seu Mazacoanenepilli, quod est Coanenepilli cervinum, seu Cihoacoanenepilli.*

Volubilis quoque est *tricuspis* COANENEPILLI, ita a me cognominata ob formam foliorum. Radix est fibrata, lutei flores, et capreoli similes praecedentibus. Temperata est aut nonnihil calida natura. Semen retentum pellit, appetentiam excitat, atque devorata duarum drachmarum mensura bilim pituitamque vacuat mediocriter per inferna. Provenit locis calidis et campestribus *Tacapichlae*, *Hoaxtepeci*, et

Cayulae. Quin et aliam offendi hujus plantae differentiam, folia cordis figura ferentem, de qua seorsim loquemur; aliam verò priori similem, sed longè tenuiora ferentem folia, eisdemque praeditam viribus.

CAPUT CI.

De COANENEPILLI *frutice, foliave ferente cordis figura.*

Volubilis frutex est radici innixus longae et fulvae, e qua proferuntur caules tenues, teretes, et virides: et in eis folia subalbida, cordis ferè forma, ac flores ex albo pallescentes, et exiles. Radix unciae unius mensura tusa ac devorata febres dicitur arcere; mistaque *Yztacquahuitl*, aut assumta per se urinam provocat, semen retentum pellit, necnon sanguinem coactum in grumos et lapillos. Dulcis est sapor, frigidaque aut mediocris natura.

CAPUT CII.

De COANENEPILLI *Atattaccensi.*

Vidi apud *Atattaccum* oppidum ignobile, juxta *Aethnae* nivosae radices situm, genus aliud COANENEPILLI, hominis aequans altitudinem, aliudque a praecedentibus, foliis oblongis, radicibus prolixis, atque crassis, fructu oblongo, ubi semen margaritis persimile, et floribus candentibus. Ad temperiem videtur attinere, et ideo radices tusae,

atque ex aqua devoratae sedant dolores. Sunt qui *Coayelli* vocent.

CAPUT CIII.

De COAPATLI, *seu Alsine Pahuatlanensi.*

Herbula est folia ferens *Alsines*, sed valde pinguia, per caulis intervalla quaterna, et cruciatim disposita; radices capillis similes, caules breves ac tenues, et florem longiusculum, taeniae aut piperis longi forma, sed valde minorem. Sistit haec vomitiones, nauseam compescit, devorataque viperarum, et ceterorum venenatorum animalium morsibus quolibet pondere mirè obsistit. In calidis verò *Pahutlani* locis solet provenire.

CAPUT CIV.

De COAPATLI *siliquata.*

Fibrata firmatur radice, unde oriuntur caules cubitales, aut aliquantisper longiores, Limoniae Mali, folia infera parte albescentia, hirsuta et oblonga, flores lutei ac obrotundae siliquae, et acuminatae. Frigida et salivosa natura constat; quo fit, ut radices semunciae mensura ex aqua devoratae calorem ac praecipuè capitis tollant. Nascitur in calidis montosisque locis, qualis est *Hoitzocus* et *Tyauhtepeco.*

CAPUT CV.

De ZAZANACA, *quam alii Coapatli vocant.*

Zazanaca ita dicta a lanugine innata radicibus, quae fovendo igni aptissimae sunt, et fibris augentur fulvis, luteum tamen, si dentibus conterantur, ostendentibus colorem, caules profert multos rotundos et prolixos: et in eis folia oblonga, serrata, ac velut spinosa per ambitum, licèt cum primùm a caulibus oriuntur, praecincta sint, et quibusdam alis utrinque exsertis novam quamdam foliorum repraesentent figuram: flores in summo capillatos, intrinsecùs rubescentes, extrinsecùs verò candescentes ex pallido, qui tandem abeunt in pappos. Radix est acris et amara, calidaque et sicca ordine tertio. Flatum discutit, et ab eo ortos dolores frigoreve, vacuatis intestinis, infusa tollit, lumbricos pellit, ac medetur defluxioni alvi. Idem praestat ejusdem pulvis ex aqua vinove devoratus duarum drachmarum pondere, praeterquam quòd satietati medetur; alvum enim leniter solvit, urinam evocat, finit febres, ac ventris placat tormina. Vocant hanc herbam Mechoacanenses *Xararum*, ajuntque succum radicis mederi doloribus e lue gallica profectis, impeditum motum restituere, instaurareque eos, qui obstructionis aut cruditatis gratia sensim contabescunt, semen retentum elicere, enixarum renes roborare, evocare menses

et lanuginem radici innascentem mederi vulneribus, et ignis aptissimam esse escam. Sunt et aliae duae *Zazanacae* species, quarum alteram *Xiuhtotonqui* vocant, sed de his suis locis. Nascitur frigidis humidisque, aut temperatis plagis, qualis est *Tetzcocum* juxta montes.

CAPUT CVI.

De COAPATLI, *quam etiam Tlamacazquipapan vocant.*

Herba est multos ab una radice fibrata mittens caules, teretes, et rotundos, Mali Persicae, sed aliquantò amplioribus foliis stipatos, quae primo statim exortu hinc inde cauli adhaerescentia, antica et postica parte nudum dimittant: flores comantes, parvos, in summo e luteo candescentes. Radix moschum olet, amara et glutinosa est, acrimoniam praefert; calidaque et sicca quarto ferè ordine natura constat, ideoque febrium frigora tollit, flatum discutit, ossa consolidat, urinam evocat, crassos et lentos humores attenuat, et dolores quosvis a frigore ducentes originem placat. Folia admota pectori asthmati medentur. Jus decocti dicitur vacuando curare dysenterias; cortex verò radicis typos quartanos. Idem semunciae pondere devoratus per novem dies continuos dolores e lue indica ortos curare dicitur vacuatis atrabiliosis humoribus, praecipuè si duplum ponderis totidem diebus infundatur; prima namque die fe-

runt vacuare omnes humores, reliquis non adeo, plurimumque corroborare, atque ita demum mederi exquisitissimè morbo. Nascitur *Tauhtepeci*. Est et alia eodem nomine ferè planta, quam *Tztaceoapatli*, seu *album Coapatli* vocant, sed frigida natura; de qua suo loco dicemus.

CAPUT CVII.

De COAPATLI *Quauhnahuacensi.*

Fibratae innititur COAPATLI *Quauhnahuacensis* radici, unde caules proferuntur cubitales, aut aliquamtisper longiores, folia subalbida, et hirsuta, oblongaque. Radix semunciae mensura devorata nimium calorem exstinguit, ac praecipuè capitis; frigida enim et lubrica natura constat. Nascitur in calidis, quale est oppidum *Tyauhtepec*, et *Quauhnahuac*, asperis et montosis locis.

CAPUT CVIII.

De COAPATLI *Persicaria.*

Herba est COAPATLI *Persicaria* tres spithamas longa, radice firmata, prolixa et tenui, unde prodeunt caules laeves, teretes, ac fragiles: et in eis folia Persici paulò latiora, brevioraque. Succus foliorum epotus valet adversùs venenorum omnium noxas, unde nomen. Nascitur in calidis.

CAPUT CIX.

De COAPATLI, *Sedi specie.*

COAPATLI, de qua est nunc nobis sermo, Sedi est species ignota nostris, radicem profundens capillatam ac transversam, purpurascentemque, unde oriuntur caules repentes per terram, teneri, pleni geniculis et virescentes, ac in eis folia Sedi, parva et pinguia. Frigidae est, ut cetera Sedi genera, et humentis naturae, expersque saporis. Succus epotus semunciae mensura valet adversùs venenatorum animalium morsus, unde nomen. Solet verò circa rupes et saxa frigidarum regionum aut temperatarum magna ex parte oriri.

CAPUT CX.

De COAPATLI *Teoiztlae.*

COAPATLI *Teoiztlae*, quam alii *Ytzaccoapatli* vocant, radicem fibratam fundit, unde profertur caulis teres et fuscus squallensve, folia Limoniae Mali et luteus flos. Sapit oletque moschum: acris est calidaeque, et siccae temperiei ordine ferè quarto, et subtilium partium: urit enim ac gutur lancinat. Cortex radicis trium drachmarum pondere devoratus quartanarum horrores tollit, et aliarum febrium rigores et frigora. Jus verò decocti ejus infusum lenit membro-

rum dolorem. Provenit *Teoiztlae*, unde cognomen est impositum.

CAPUT CXI.

De COAPATLI *Quauhnahuacensi.*

Radici insistit fibratae, unde prodeunt caules laeves, teretes, purpurei ac sex longi spithamas: et in eis folia aspera, firma, et oblonga, flores in summis caulibus albi, pilosi et orbiculares. Radix est acris, amara, et impensè odora, calidaque, et sicca ordine tertio, et subtilium partium. Eadem semunciae ferè pondere devorata ex aqua flatus discutit, tormina sedat, perfrigerationi medetur, evocat sudores et urinam, medeturque egregiè colicis. Nascitur in calidis.

CAPUT CXII.

De COAPATLI *asphodelina.*

Radices fundit COAPATLI *asphodelina* longas, candidas, asphodelinis non absimiles, unde indidimus cognomen, aut *Matlalyztic*: et ex eis folia prolixa et porraceis paria, flores in postremis caulibus velut spicatis, et Sthoecadis capitibus persimiles. Radices sunt molles et refertae succo, insigni odore et sapore carentes, frigidaeque et humentis temperiei. Tusae et admotae auxiliantur ictibus serpentum; idem praestant epotae ex aqua Buglossi. Nascitur *Quauhtlae Hoitzilacensi.*

CAPUT CXIII.

De COAPATLI *Ytzocanensi.*

Radicibus insistit surculosis, lignosisque, unde prodeunt caules: et in eis folia longiuscula, floresque lutei in pappos abeuntes. Radix est amara calidaque, et sicca ordine ferè quarto, et guttur urentis naturae. Devoratur adversùs frigora febrium duarum drachmarum pondere. Provenit verò in montium faucibus.

CAPUT CXIV.

De COATELLI, *seu angue foetenti.*

Radices multas fundit capillis similes, Rumicis folia, caules dodrantales, et flores albos modicos. Febres sedant radices semunciae pondere devoratae.

CAPUT CXV.

De altera COATELLI.

Altera COAYELLI, quam alii *Tlalepazotl* vocant, radicem fundit fibratam, dulcem, rubram ac longam, unde prodeunt caules tenues, et spithamam longi, in eisque folia Alsines parva, sed aliquantò majora: flores ex albo purpurascentes, modici, quibusdam contenti vasculis et semen tritico simile. Calida est atque exsiccante natura. Au-

xiliatur tenso collo applicata, eodemque modo perfrigeratis quomodolibet membris opitulari solet. Nascitur in montibus Mexicanis. Sunt qui addant, admista *Ceton*, herba temperati quoque caloris, pannos aliosque discutere praeter naturam tumores.

CAPUT CXVI.

De YCUITLATETEPON, *seu spina dorsi.*

YCUITLATETEPON, quam alii *Coacuitlatetepon* ob similitudinem, quam habet cum anguis spina, vocant, Graminis est fortassis species, caulem edens planum, utrinque desinentem in acumen, stipatum foliis rutaceis paulò longioribus, floremque ac fructum nullum. Frigida constat natura. Exhibetur pro Indorum more enixis corroborationis gratia, inflammationibus imponitur, et febricitantibus resoluta ex aqua propinari solet. Bibitur succus adversùs serpentum ictus, et venenatas potiones. Nascitur praerruptis montium locis apud *Mecatlanenses.*

CAPUT CXVII.

De COATLIXOCOUH, *seu Pruno colubrino.*

Arbor est magna, cinereos fundens caules, Pruni folia, sed minimè serrata, flores coccineos, ac fructum Oxyacanthae similem, includentem nucleum, qui procedente tem-

pore nigrescit. Amara est calidaque, et sicca ordine tertio. Cortex radicis admotus medetur doloribus ulceribusque membrorum. Nascitur *Oapáni*, calida regione, in planis editisque locis.

CAPUT CXVIII.

De COAXIHUITL, *seu herba colubrina.*

COAXIHUITL herba, quam nonnulli *Chalcuitlatl* vocant, radici crassae et fibratae insistit, unde caules profert rubros, tenues, teretesque, et duos cubitos longos: in eis verò folia Hyperici, minora tamen, et minimè cribrata: flores purpureos, oblongos, calyculorum figura, juxta singulos foliorum exortus perpetuo caulium procursu. Saporis est et odoris ferè expers; frigidaque et glutinosa natura. Jus decocti radicum medetur dysentericis, asthmati opitulatur, dolorem sedat, febres restinguit, ac naribus instillatum fluxum sanguinis cohibet. Gaudet temperato caelo, locisque montosis, et Septembri mense floret.

CAPUT CXIX.

De QUETZALCOXIHUITL, *seu herba anguis pennata.*

Volubilis planta est folia ferens serrata, Urticae similia, nervis tamen ternis secundùm longitudinem discurrentibus, et fibrata radice. Folia devorata phreneticis dicuntur mederi. Nascitur in calidis.

CAPUT CXX.

De COAMECAXOCHITL.

COAMECAXOCHITL, seu *flos funiculo* aut *angui similis*, herba est folia nulla ferens, sed earum loco mittens statim a radice stipites lentos, tenaces atque spiniferos, anguium forma, ac minimi digiti crassitudine, unde nomen, visu monstrificos, et quos vix audeas attingere serpentem reformidans, ¡tam est indistincta similitudo! unde erinacei quidam prodeunt, ex eisque flores coccinei, longi, et spectatu pulcherrimi, qui si extremi caules terram attingant, statim radices agunt. Frigefacientis est et glutinosae naturae, ac impeditum motum dicitur restituere in gelidisque nascitur: flos venit in usu coronamentorum, quae vulgus Indorum *Xochitl* vocare consuevit.

CAPUT CXXI.

De COATZONTECOXOCHITL, *seu flore capitis colubri.*

COATZONTECOXOCHITL, quam alii *Coatzontecomatl*, seu *caput colubri* vocant, herba parva est radici obrotundae insistens, fibrataeque: ex qua fundit caules multos, tenues ac breves: et in eis folia parva, cordis figura, virore diluto tincta, ac flores modicos et candentes. Radix lacte manat, quae unciae unius devorata pondere appetentiam ex-

citat. Calida temperie constat, locisque provenit calentibus.

CAPUT CXXII.

De COAQUILTIC, *seu Olere colubri.*

COAQUILTIC, quam alii *Tzatzayanalquiltic* seu *herbam Laveri similem* vocant, radicem mittit magnam et surculosam, candentem, et crasso cortice vestitam, et ab ea caules cavos, purpurascentes ex albo, folia longa crenataque aut sinuosa, et Sisymbrio alteri, unde nomen, quadamtenus similia, ac foeniculaceum semen in muscariis. Radix succo madet, amara est, nec sine quadam acrimonia, calida tertio ordine et sicca natura, subtiliumque partium. Urinam evocat, discutit flatum, ventriculum calefacit, alvum lenit, colicos juvat, ventris sedat dolores, uterinis succurrit affectibus, devoraturque adversùs accessionum frigora ex aqua resoluta. Exhiberi etiam solet pueris febre laborantibus, atque natu grandioribus, quibus subvenit causa fortassis morbi aut percocta aut profligata. Jus decocti radicis nutricum emendat lac, cum forte vitiatur ob satietatem. Nascitur in montium *Culhuacanensium* benigno ac clementi caelo.

CAPUT CXXIII.

De COACAMACHALLI, *seu maxilla colubri.*

COACAMACHALLI a foliorum forma colubri maxillae persimili vocata, arbor est magna, semen exile et spicatum ferens juxta ramorum extrema, et siliquas refertas semine lentium figura. Folia illita dolores etiam a lue indica ortos mitigant, auxiliaturque tensioni. Sapor est adstringens, dulcis et aliquantisper glutinosus: temperies utcumque frigens aut moderatè calida. Nascitur *Hoaxtepecensi* agro, juxta montium fauces. Simile quadamtenus est folium plantae, quam vocant *Coanenepilli*: verùm illa volubilis est, haec autem arbos magna.

CAPUT CXXIV.

De COATOMATL, *seu Tomatl, vel acino colubri.*

Radicibus insistit capillis similibus, unde mittitur stipes viridis ac per terram repens: flos candens, fructus verò Solani similis. Saporis insignis expers est, frigidaque et pruriginem illita sedans. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci* juxta aquas.

CAPUT CXXV.

De COAYXTELOLOTLI, *seu oculo serpentis.*

Volubilis est genus arbores juxta assurgentes scandens, foliis verò amplis et obrotundis, sed desinentibus in acumen. Jus decocti ejus epotatum viperarum ceterorumque venenatorum animalium adversatur morsibus. Nascitur *Mecatlani.*

CAPUT CXXVI.

De COAHOITZXOCHITL, *seu flore spinae colubri.*

Frutex est spinosus COAHOITZXOCHITL, sex longus cubitos, foliis Verbascinis, sed minoribus ac Pruni forma, distinctisque singulis angulis, binis, tribus, aut pluribus, floribus in corymborum formam compositis, circumcirca purpureis, sed luteis juxta medium in summis caulibus, qui prolixi sunt, teretes, spiniferi, hirsuti, cinerei, contortique, et qua parte carent aculeis, laeves ac radice magna et surculosa. Haec frigida est, atque humectans, laevigataque et semunciae pondere ex aqua epota morbis medetur, quos puncta sequuntur, necnon ceteris febribus, cujus etiam auxilii gratia flores quoque propinantur et folia. Nascitur in frigidis *Tenancichalcensis* in planis atque humectis locis.

CAPUT CXXVII.

De COAXIXCATZINCHIETLAE, *seu planta micturiente.*

Nomen sumsit parva haec arbos a gummi, quod fundit, resinae aut abietino oleo persimili, folia autem fert obrotunda, foliis Mali Maciani similia, fructum acinosum, purpurascentem, nucum ponticarum ferè magnitudine. Gummi ejus, aut ipse cortex plagis recentibus ac veteribus felicissimo eventu applicatur. Calida enim sunt et nimis adstringentia.

CAPUT CXXVIII.

De COCOCXIHIUITL *prima, seu acri herba.*

Etsi Indi plantam hanc *herbam* vocent, in arborum tamen saepenumero magnitudinem elevatur, duarum ac interdum trium ulnarum aequans altitudinem, atque ideo utriusque imaginem exhibuimus apud Regis *Tetzcoquensis* hortos, ubi rei herbariae aliquot vacavimus dies. Ergo a sapore acri, quo pollet, nomen accepit: folia sunt Polypodio non omnino dissimilia, sinuosa, et magna, distincta venis rubescentibus e pallido: flores in postremis ramorum flagellis spicati, et ex albo pallescentes, e quibus fructus prodit parvus, racemosus, et utrinque desinens in acumen, amaro et acri sapore constans, multoque affluens succo: stipites hirsuti ac teretes, infernè lutei, luteoque succo ma-

nantes, radix magna et surculosa, qualem exigunt arbores, folia altera parte viridia, altera verò subalbida. Calida est et sicca inter ordinem quartum, non sine quadam adstrictione. Surculi cortice nudati albugines atque argemata illitu discutiunt. Succus absumit flatum; curat lichenas, quod et fructus facit, et dolores a frigida causa ortos lenit: folia medentur veteribus plagis; tusa, atque applicata verrucas corrodunt, et praecipuè praeputii, ac pudendorum, quod certissimo saepe patuit experimento. Sunt qui vocent hanc arborem *Quauhchilli* a sapore acri et urenti, Siliquastroque *Chilli* vocato a Mexicanis quamsimillimo. Provenit temperatis, calentibusque regionibus, convallibus, et montibus, necnon in cultis et hortensibus. Sunt etiam qui *Totolinyxochio*, seu *passeris florem* vocent, nec desunt qui *Tlacoxihuitl.*

CAPUT CXXIX.

De COCOCXIHUITL *quernea.*

Frutex est crassae et fibratae radicis longaeque, unde fundit multos ramos, lignosos, et flores purpureos, parvos, juxta singulos foliorum exortus, quae sunt querneis valde similia, unde fecimus ei cognomen, tinctaque exsaturato virore. Odorus est, et calens siccusque ordine tertio, et subtilium partium. Jus decocti foliorum epotum magnopere

confert tussi aliaque praestat praesidia, ex hujusmodi temperie proficisci solita.

CAPUT CXXX.

De COCOCXIHUITL *secunda.*

Radicem fundit Cococxihuitl *secunda* Napo parvo magnitudine et forma persimilem, unde prodeunt caules multi, duos longi cubitos, digitalis crassitudinis fulvique, referti utrinque foliis dispositis per intervalla, longis, angustis, serratis et *Tauhtlinis* non omnino dissimilibus: floresque juxta extremos caules pallentes et scariosis contenti calyculis. Radix in laevorem redacta tussi confert ac duarum drachmarum pondere infusa discutit flatum et intestina ventriculumque ipsum emundat; quin permista siliquastro, et *Tztauhyatl* dolores ex flatu aut frigore ortos sedat, colicos iliacosque sanat, et stercori ob eam causam detento viam patefacit. Calefaciens enim est et exsiccantis ordine tertio facultatis. Temperatis provenit regionibus, qualis est *Tetzcoquensis*, asperis et montosis locis.

CAPUT CXXXI.

De COCOCXIHUITL *Teuhcaltzincensi.*

Surculosae radici innititur Cococxihuitl *Teuhcaltzincensis*, unde caules edit fuscos: et in eis folia Menthae sca-

bra, oblonga, subalbida, et serrata, fructumque in summis caulibus capitulorum forma e viridi pallescentem. Calida est et sicca ordine quarto, gustataque linguam adurit. Odorem spirat Cumini : frigori adversatur, et ab eo ortos flatus dissipat, tormina sedat, appetentiam excitat, seu herba ipsa devoretur, seu succus jusve decocti absorbeatur, menstrua et urinam evocat, reserat obstructa, paralysi medetur, coctioni fert opem, crassos humores incidit, perfrigerata membra instaurat, aliaque his similia praestat juvamenta. Provenit juxta cacumina montium regionum calidarum.

CAPUT CXXXII.

De COCOCXIHUITL *Helleborina.*

Radicibus innititur Hellebori, unde illi distinctionis gratia indidimus cognomen, e quibus fundit caules tenues, teretes, multos ac rectos : et in eis folia hirsuta, oblonga, serrata, sena per intervalla, Salviae, ni minora essent et Origani forma similia, et flores in summo comantes ac rubescentes ex luteo. Odor est gravis, etsi malis redoleat Apianis, sapor amarus, calidaque et sicca ordine secundo natura, glutinosaque : atque ita adversùs diarrhoeas cum pari pondere *Chichicpatli Teocioacanensis* propinari adversùs eas solet. Imponiturque capiti, verticis, ut ferunt, levandi gratia. Provenit editis, humilibusve *Teocioacani* lo-

cis. Sunt qui *Yxnexehuac*, seu *supernè cinerearn* vocent.

CAPUT CXXXIII.

De COCOCXIHUITL *Xochitepecensi.*

Radicem mittit magnam multis auctam surculis, et ex ea folia Prasii, sed magis acuminata, ac florem coccineum; caules quatuor aequant spithamas. Radix amara est, calidaque et sicca ordine secundo. Jus decocti radicis ejus infusum ventris dolorem levat, ac flatum discutit.

CAPUT CXXXIV.

De COCOCXIHUITL *expurgante.*

Radicem fundit fibratam, folia cordis figura hirsuta, tenuiaque, infernè squallida, supernè viridia, et in postremis caulibus, qui rotundi et hirsuti sunt, terna grana, nigra, Ciceris forma et magnitudine, vasculis contenta prodeuntibus ab ipsis foliorum exortibus, flores verò parvos et luteos. Gustu est et odore Thymi, calidaeque ordine quarto temperiei. Humores omnes supra infraque expurgat, sed praecipuè crassos et pituitosos drachmae unius pondere devorata; exhiberique potest etiam pueris modica portione pro ratione aetatis et vigoris. Provenit locis temperatis, ac praecipuè *Quauhtepecensibus.*

CAPUT CXXXV.

De COCOCXIHUITL *Tacapichtlensi.*

Volubilis genus est, caulibus sarmentosis, tenuibus et prodeuntibus e radice surculosa: foliis Ocymi minimè serratis, majoribus ac ternis. Calidae est atque urentis non minùs ipso pipere naturae. Ophiasi medetur, lepras et lichenas exsiccat, psoram curat, pediculos necat aliaque hujusmodi sordida animalia, et dentium sedat dolorem: flatum discutit, membra perfrigerata calefacit, et hujusmodi alia non pauca praestat juvamenta, quae singulatim referre non putavimus esse necessarium, cum ex ipsa temperie quivis possit ea divinare. Nascitur in collibus saxosis.

CAPUT CXXXVI.

De COCOCXIHUITL *frutice.*

Radices fundit surculosas fulvasque, unde prodeunt fulvi, teretes, ac leves stipites: et in eis folia rara, serrata, parva Chamaedryos ac flores coccinei et stellati. Odor est gravis, et acris sapor. Folia tusa atque devorata sistere dicuntur diarrhoeas.

CAPUT CXXXVII.

De cococxihuitl Ocymina.

Herba est radices fundens mediocriter crassas, candidas, longas et capillis refertas: caules teretes, digitum latum crassos, ac duos longos cubitos: et in eis folia Ocymi, unde inditum cognomen, minora tamen, floremque candentem et modicum. Calida est et sicca ordine quarto, acris et urentis naturae. Radix ac folia tusa infusaque aut ex aqua minori devorata pondere colicae medentur, flatum discutiunt, ventriculi et alvi dolores levant, frigidosque cunctos exterminant affectus.

CAPUT CXXXVIII.

De cococxihuitl Ocoitucensi.

Volubilis est Cococxihuitl *Ocoitucensis*, quam alii *Tocaxihuitl* seu *aranei herbam* vocant, folia ferens velut scissa per medium, nec sine quibusdam parvis sinubus, ac capreolis sese hinc et inde convolventibus, et florem fructumque ex albo in luteum colorem vergentem. Frigida et sicca natura constat, glutinosaque, non sine quadam adstrictione. Medetur ulceribus, et oculis inflammatione tentatis. Nascitur in faucibus montium regionum frigidarum, sese per saxa praecipitans.

CAPUT CXXXIX.

De COCOCPATLI *geniculata.*

Radicem profert crassam, stipites crassos et cavos, plenos internodiis, quorum primum duas aequat spithamas, reliqua verò uncias octonas: folia sunt Apii palustris, majora tamen. Uncia unica radicum devorata accessionibus narratur prodesse.

CAPUT CXL.

De COCOCPATLI *Atlapulcensi.*

Herbula est radicis longae et tenuis, unde emittuntur caules toti purpurei, folia oblonga, et purpurei flores. Radix est dulcis ac glutinosa moderatarumque virium. Tumores praeter naturam concoquit. Nascitur in frigidis regionibus, ac locis arentibus.

CAPUT CXLI.

De COCOCPATLI *Chillanensi.*

Herba est tres cubitos longa, radici fibratae innixa, ex qua profert caules tenues ac teretes: et in eis folia obrotunda et pinguia, infernè subalbida, et nonnunquam coccinea. Frigida est atque adstringens. Jus decocti ejus confert satietati. Nascitur *Chillani*, unde distinctionis gratia factum est illi cognomen.

CAPUT CXLII.

De COCOCPATLI *Oapanensi.*

Radici innititur Raphani forma COCOCPATLI *Oapanensis*, intus pallescenti, fibrataeque, unde profert caules volubiles et exiles, in eisque folia Scammonii parva, et florem nigricantem. Radix tusa dolori dentium medetur, si eis ipsis, aut saltim maxillae admoveatur. Nascitur montosis saxosisque locis *Oapani*. Odora est calidaque et sicca ordine ferè tertio natura.

CAPUT CXLIII.

De COCOCPATLI *diuretica.*

Radicem fundit longam Raphano similem, extra nigram, intus candentem: folia Cynoglossi vulgaris, florem luteum totum, Chrysanthemi, aut Buphthalmi forma, sed longiorum foliorum ambientium, caules purpureos, tenues teretesque. Urinam haec evocat, et semen retentum assumta educit.

CAPUT CXLIV.

De COCOCQUILITL, *seu de olere acri.*

Herba est COCOCQUILITL crassae et fibratae radicis, geniculataeque, et paulisper rubescentis atque purpurascentis, unde prodeunt caules tres spithamas longi et digitum minimum crassi, ac prope exortum purpurei, in eisque fo-

lia Lepidii oblonga, serrata, pinguia, viridia supernè, infernè subalbida, ac juxta dorsum purpurascentia: flores juxta supremum caulem lutei, qui abeunt in pappos. Radix est aliquantisper glutinosa, odoro gustu, ac sapore amaro et nonnihil acri. Ashmati est utilis: conferre ajunt contusam atque illitam ambustis humore fortassis quodam salivoso, quo videtur abundare: calida enim est ordine tertio et humida natura. Nascitur *Tetzcoqui* in montibus. Folia hujus plantae Pastinacam gustata referunt. Est et alia planta, quam *Cococtlanelhuatl*, seu *urentem radicem* vocant, huic forma prorsùs similis, sed fibrata radice ac minimè geniculata, cujus vis calida est et sicca, et ob id non duxi seorsim describendam.

CAPUT CXLV.

De COCOCAQUILITL, *seu olere aquatico acri.*

Herba est COCOCAQUILITL tres cubitos longa, fibratae innitens radici, unde mittuntur caules sexanguli, terni, folia Ocymi, sed profundiùs serrata, ac veluti sinuosa, punctisque luteis distincta: flores Betonicae altilis, aut *Cempoalxochitl* sylvestris, quorum foliola coccinea sunt, in medio verò apex croceus eminet; prodeunt hi a calycibus quibusdam scariosis, Cyano haud dissimilibus. Flos foliaque odora sunt, et acris saporis, illum Nasturtii paulisper imi-

tantis, unde evenit ei nomen. Edunt eam pro olere indigenae: urinam et menstrua evocat, flatum discutit, calefacit ventriculum, crassos humores attenuat, cor roborat, et utero confert, quomodolibet applicata. Seri semine potest, et in hortos *Philippicos* transferri. Pertinet, ut mihi quidem videtur, ad species *Cempoalxochitl*, quod odore etiam ejus apparet indicari.

CAPUT CXLVI.

De cococtemecatl, seu fune Volubilive acri.

Cococtemecatl, quam alii *Cococtemecaxihuitl* vocant, radici fibratae insistit, unde oriuntur purpurei caules atque volubiles: et in eis folia Ocymi forma, longè tamen majora, angulosaque et crenata; flores in postremis ramulis pilosi, parvi, abeuntes in pappos, et ex albo purpurascentes. Folia glutinosa sunt, quamobrem tusa haec pugilli mensura, atque epota dysentericis medentur. Radix autem caulesque quarto sunt ordine exsiccantia et calefacientia, tenuiumque partium: medentur ophiasi, et lichenibus. Drachmae duae radicis devoratae dolorem ventris ac tormina sedant, evocant urinam, enixis opitulantur, earumque morbis a frigore ortis medentur, placant etiam dolores a flatuoso spiritu genitos. Provenit *Tacapichtlae*, et *Quauhquechullae* calidis atque saxosis locis.

CAPUT CXLVII.

De COCOCATON, *seu herba ustulata.*

Folia fert COCOCATON parva, cordis figura, ordine ex utraque parte caulium disposita, qui multi sunt, breves, tenues, teretesque, et a radice raphaninae simili fibrataque prodeuntes. Ad Alsines genera videtur pertinere; nam et flores fert pusillos et candentes. Frigidaque et humenti constat natura, saporisque est et odoris expers. Succus instillatus naribus dolores capitis a causa calida ortos dicitur tollere, ac tumores praeter naturam repellere. Nascitur in calidis et aquosis locis *Xochimicaltzinci.*

CAPUT CXLVIII.

De COCOCATON *secunda.*

Herbula est folia fundens Origani, et flores cyaneos in vasis longiusculis. In frigidam temperiem inclinat, etsi cujusdam caloris non videatur expers: oculis autem magnopere dicitur conferre. Nascitur in planis *Oeoitucensibus*, in ruderibus ac maceriis.

CAPUT CXLIX.

De YZTACCOCOCTLACOTL.

YZTACCOCOCTLACOTL, seu *virga acris* et *candens*, quam

alii *Ytactexcalitlacotl*, seu *sudem candidam saxis innascentem* vocant, radice firmatur fibrata, unde edit stipites laeves, teretes, ac purpureos, folia oblonga, serrata et mollia, ac florem album in corymbis. Radice utuntur Indi evocando sudori ab his qui dolorem patiuntur articulorum, atque ita illis egregiè medentur: eodem quoque medicamento subvenire solent perfrigeratis. Est enim gustu odora, acris et calefaciens ordine tertio, tenuiumque partium. Nascitur *Xalauci* saxosis locis. Servant radicem ejus indigenae in annuos usus.

CAPUT CL.

De CHICHICEZPATLI, *seu medicina sanguinis amara.*

Arbor est CHICHICEZPATLI mediocris, folia ferens oblonga, minimè serrata, et maculis quibusdam fulvis secundùm transversorum interveniorum discursum interstincta: flore et fructu caret, et vulpeculam quadamtenus olet. Calida est et sicca ordine tertio natura. Cortex tritus atque devoratus urinam evocat, et quidquid urinae meatus obstruere potest. Calidis ac montosis locis gaudet, qualia sunt *Tepoztlanica*, et interdum etiam temperatis. Quin cortex radicis tritus ac devoratus cum siliquastro valet adversùs ventris dolorem, satietatem, atque lassitudinem; per se verò alvum dicitur adstringere.

CAPUT CLI.

De altera CHICHICEZPATLI.

Duplex est CHICHICEZPATLI, altera ad arbores pertinens, de qua seorsim dicetur, altera ad herbas, de qua modo. Radicem haec fundit praelongam, funiculo similem et fibratam, ex qua prodeunt caules quadrati, paululùm rubei et geniculis intercepti: et in eis folia Mali Medicae, minora tamen, et ubique terna, flores acervati juxta ramorum exortus, et cacumina. Calida moderatè constat natura. Cortex radicis ejus exhibetur duarum drachmarum pondere his qui e loco quopiam editiori cecidere, aut alia quavis occasione contusi aut verberati sunt; praeterea etiam ventrem dolentibus, dysentericis, aut fastidio vexatis cum siliquastri Indici fructu. Temperato clementique gaudet caelo, asperisque et montosis locis provenire solet.

CAPUT CLII.

De EZPATLI *Quauhnahuacensi.*

EZPATLI *Quauhnahuacensis*, quam alii *Quauheztli*, seu *medicinam sanguinis* vocant, frutex est foliis verbascinis obrotundioribus, sed hirsutis, pinguibus, mollibus, et cordis paene figura. Manat incisa sanguine, unde nomen; odorem Sthoecadis gravem praefert. Cortex est calidus, gustu odo-

rus, resinosus, siccus, atque adstringens, et demum amarus; secundo ordine calefacit, aut ampliùs. Jus decocti radicum, quae rubrae sunt et surculosae, infusum, aut potatum medetur dysenteriis, ac veteribus plagis stillans e praefatis ramis liquor. Nascitur regionibus calidis, quales sunt *Quauhnahuacenses*, *Temiltzincenses*, et *Teucaltzincenses*, ubi eam conspeximus juxta saxosa loca.

CAPUT CLIII.

De TLAPALEZPATLI, *seu fluentis sanguinis medicina.*

Arbor est mediocris, folia ferens Origani, florem parvum et candidum, *Tzquixochitl* similem, racematim dependentem, fructumque, ut referunt, nullum. Jus decocti corticum ejus urinam evocat, et quidquid ei impedimento esse potest, maximè si cum *Tlallacacuitlapilli* misceatur, sanguinem percolatum fluentem cohibet; ipse verò cortex alvum coërcet. Frigida siccaque, et nonnihil adstringenti constat natura. Gelidis montosisque locis gaudet aut aliquantò calidioribus, et mense Septembri floret. Sunt qui *Ezpatli* nuncupent.

CAPUT CLIV.

De CHICHICTLAPALEZQUAHUITL, *seu arbore rubri sanguinis amara.*

Cortex stipitis ejus arboris, quam Mexicenses CHI-

CHICTLAPALEZQUAHUITL vocant, tusus ac sex obolorum pondere epotus ex aqua sanguineam exspuitionem per se prohibet, adstrictoria, quam participat, vi et inflammatis oculis medetur. Nascitur temperatis plagis, aut paulò frigidioribus. Folia sunt oblonga, obtusa, et circa pediculum sensim attenuata. Calida glutinosaque, resinosa, odora, et adstringenti constat natura. Lac effundit primò candens et tandem rubescens, unde nomen: flore et fructu ajunt carere. Nascitur apud *Quauhnahuacensem* agrum.

CAPUT CLV.

De CHICHICEZQUAHUITL, *seu arbore sanguinis amara.*

Frutex est modicus, arbusculave, folia proferens Origani, oblonga, parva, ac terna, *Tepoztlanicis* agris proveniens. Calida et sicca constat natura. Jus decocti corticis potum urinam evocat retentam.

CAPUT CLVI.

De EZQUAHUITL.

Arbor est magna folia ferens Verbasci, ampla et angulosa; sanguinem stillat, quem vocant *Draconis*, unde evenit ei nomen; est enim EZQUAHUITL *sanguinis arbor*. Provenit *Quauhehinanci*. Est et alia arbos eodem nomine, eodemque succo manans, de qua alibi. Nam de Draconibus Fortuna-

tarum in libro eis dicato scriptum a nobis est. Vis autem hujus succi frigida est atque adstringens, corroborat dentes, fluxiones sistit, denique vim omnem, similitudinem, ac effectus eosdem praestat, quos sanguis Draconis noster, qui a Draconibus Fortunatarum colligi solet.

CAPUT CLVII.

De EZQUAHUITL secunda.

Offendi etiam apud *Quauhnahuacenses* agros, qui pertinent ad *Tepequacuilcum*, arborem *Ezpatli Quauhnahuacensi* persimilem, foliis tamen magis orbiculatis, hirsutis et asperis, crasso cortice, radice surculosa, ac juxta aquas nascentem, quae adstringens etiam est, et odorata, amara, calefaciens, et ad eadem utilis. Est et alia herba apud *Quauhnahuacenses* eodem nomine, quam ideo secundam *Quauhnahuacensem* hujus nominis vocavi; similis *Tacahoitzxochitl*, flore tamen carens et fructu, foliisque paulò majoribus ac minùs pinguibus constans. Cujus liquor, qui scarificata arbore copiosè fluit, oculis inflammatione laborantibus mirè subvenit. Frigida est, siccaque et adstringens. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus*, et *Tacapichtlensibus*.

CAPUT CLVIII.

De EZMAITL, *seu manu Sanguinis.*

EZMAITL, quam alii *Tlaelpatli* seu *dysenteriae medicinam* vocant, arbor magna est, ramis circumcirca referta, qui summa eorum parte frequentia folia effundunt, proxima ficulneis, et acervatim congesta, magis tamen sinuosa ac fissa. Jus decocti stipitis ejus dysenterias compescit, ac febres exstinguit. Frigida temperie constat adstringentique. Provenit temperatis regionibus, quales sunt *Tepuztlanenses*, montosis, atque editis locis.

CAPUT CLIX.

De COZTICPATLI *Adiantina, seu luteo medicamento Adianto simili.*

COZTICPATLI *Adiantina*, quam alii *Cocoztli*, alii verò *Cocoztic* vocant, Adianto Dioscoridis esset similis, ni longis ac pallentibus fibris abundaret, binos longitudine cubitos excederet, lutei essent caules, et folia aliquanto ampliora, pallentiaque: flore, et fructu, ut ajunt, caret. Radix gustata initio dulcis est, sed postea nonnullum praebet amaritudinis sensum. Temperata videtur constare natura, aut in frigus paululùm inclinare. Quamobrem aqua, in qua radix aliquandiu maduerit, tumentes calore oculos illitu temperat, nu-

bes discutit, carnemque in eis excrescentem erodit, renes et vesicam emundat, evocat urinam, et eorum, quibus sanguis est missus, stabilit corpora, dentes verò ac gingivas foliorum pulvis extergit atque corroborat. Mexici nascitur, montosisque locis laetiùs provenit.

CAPUT CLX.

De COZTICPATLI, *seu lutea medicina.*

Herbula est octo decemve folia ferens, quorum alia candentia sunt, purpurea alia, et alia ex albo purpurascentia, pinguia, obrotunda forma, et replicatis marginibus, humore manans et Portulacae foliis quadamtenus similis; e medio prodit flosculus flori Aquilegiae persimilis. Frigida humidaque constat temperie, etsi nonnihil caloris participet, nonnullamque praeseferat amaritudinem. Utilis est febrientibus, aut quomodolibet aliter passis calidam et siccam distemperiem, seu illita seu devorata. Nascitur *Mecatlani* saxosis locis juxta aquarum rivulos.

CAPUT CLXI.

De COZTICPATLI *Huexocincensi.*

COZTICPATLI, quam alii *Cozcatlacuaton* seu *Cozcatlacuatzin* vocant, herbula est radicibus surculosis insistens et luteis, unde nomen. Inde prodeunt caules teretes tenuesque,

et ima parte lutei, et in eis frumentacea folia, longa, angusta, hirsuta, et subalbida, asperaque, flores longi ex albo pallescentes, tubulis similes, et longis quoque subalbescentibusque vasculis contenti. Radix est nonnihil dulcis, frigida humidaque, et ex his, quas Mexicenses *Quequexquic* vocant, et dominante frigore gustatae lancinant. Folia, quae lubrica sunt, imposita medentur eruptionibus, aut inflammationibus parvis, diarrhoeas sistunt, seu devorentur seu emplastri forma ventri admoveantur. Nascitur in locis cultis atque campestribus *Chiauhtlae* et *Ocoituci*, ubi narravere mederi folia ulceribus, tumoribus praeter naturam, febribus et scabiei.

CAPUT CLXII.

De COZPATLI, *Ranunculi specie.*

COZPATLI, quam alii *Textaltomatl* vocant, Ranunculi est species. Maturare ajunt pannos, furunculosque discutere ac rumpere admotam.

CAPUT CLXIII.

De COZTICQUAHUITL, *seu de lutea arbore.*

Arbor est mediocris, flore carens, foliis Urticae longis, angustis et serratis, acuminatisque, spinifera et pallenti materie, unde nomen. Jus decocti morbis oculorum medetur,

flavificatque capillos : idem efficitur pulvere in aqua aliquandiu macerato. Radix Glycyrrhizam olet, temperataque, aut paulò calidiore videtur constare natura. Nascitur *Hoeiacocotlae*.

CAPUT CLXIV.

De COZCAQUAUHXOCHITL, *seu flore arboris luteo.*

Arbor est excelsa, foliis magnis, sinuosis, et in quinque portiones divisis, floribus aureis, rosis candidis nostratibus, aut illis *Cempoalxochitl* longè amplioribus ac fructu Malis insanis simili, denique qua a nobis depinguntur magnitudine et figura, pulcherrimi aspectus, sed odore nullo. Cortex arboris, qui frigidus est et adstringens, semunciae doratus pondere venenis adversatur praestatque materiem pigmento luteum colorem exprimenti, neque aliis, quod sciam, ab incolis accommodatur usibus. Nascitur *Quauhquechullae*, locis campestribus et planis, excoliturque in hortis atque aedium epistyliis, umbrae ac decoris gratia.

CAPUT CLXV.

De COZCAXOCHITL, *seu luteo flore.*

Radicem fundit COZCAXOCHITL crassam, fibratam, longam et fuscam extra, intus luteam, unde prodeunt caules referti foliis longis et angustis, Absinthio aut *Iztauhyatl* similibus, supernè virentibus, infernè verò squallidis. Nullum

insignem saporem radix (cujus praecipuus usus est in medicina) praefert, frigida humentique et impensè glutinosa constans natura. Propinatur ab iis Indis Medicis enixis, illiniturque earum renibus, necnon illis, quibus praefracta sunt ossa. Nascitur in frigidis *Tototepec* campestribusque juxta sylvam locis, et habetur ab indigenis maximi. Sunt qui *Poztequizpatli* seu *fracturarum* vocent *medicinam.*

CAPUT CLXVI.

De COZTICXOCHIO, *seu flore pallenti.*

Radicibus insistit capillis similibus, unde eduntur caules: et in eis folia ocymina; flores pallentes, orbiculares et magni. Illita corpori febres curat, frigida siquidem natura constat.

CAPUT CLXVII.

De COZTICXOCHITL.

Frutex est, cujus folia sunt *Tzitzin*, seu *Fraxini* Indicae, et lutei flores. Radix trita, ac devorata, adversùs dysenterias firmissimum exhibet praesidium.

CAPUT CLXVIII.

De COZTICAPOTONCAXOCHITL, *seu flore luteo in pappos abeunte.*

Radicibus firmatur Helleboro similibus, candidis, lon-

gis, ac multis, unde mittit caules praelongos, teretes, purpureos, laeves, ac minimum digitum crassos; folia per intervalla Salicis, sed circinata et latiora, ac dodrantem paene longa, flores in summis caulibus comantes, ex albo pallescentes, et tandem in pappos abeuntes, unde nomen. Universa planta gustu odora est, et aliquantulùm amara; calida et sicca natura ordine secundo, subtiliumque partium. Mirabilis est, ut ferunt, radix adversùs febres, quod qui fiat nescio, nisi febrium rigores ac frigora intelligant, aut eveniat idem vacuata alicunde causa. Nascitur in montibus herbarum expertibus regionum gelidarum, quale est oppidum *Tepetlaoztoc*.

CAPUT CLXIX.

De COZTICAMATL, *seu lutea papyro.*

Arbor est magna foliis latis et obrotundis, e pediculis longis pendentibus, purpureisque, qualia etiam sunt dorsi intervenia. Jus decocti ejus infunditur gratia refrigerii. Nascitur *Cocolani*.

CAPUT CLXX.

De COZTICTACACOZAUHQUI, *seu Cuspide pallenti.*

Radice firmatur crassa fibrataque, ex qua fundit caules sex dodrantes longos, teretes, et striatos, folia Ocymi, mi-

nimè serrata, flores toto paene caulis procursu candentes, pilososque, et Elichryso, non dissimiles. Radix est amara, acris, calidaque et exsicans ordine ferè quarto partiumque tenuium, cujus temperiei pares praestat effectus. Nascitur in collibus, calidisque *Tacapichtlae* locis.

CAPUT CLXXI.

De COZTICCAXTLATLAPAN, seu herba lutea scultellas frangenti.

COZTICCAXTLATLAPAN, quam alii *Coaztalxochitl*, seu *florem canum*, alii *Tcohueyo*, alii *Topixochitl*, alii verò *Aztaxochitl*, seu *florem ardeae* vocant, herba est duas spithamas longa, radicem proferens similem porraceae, et ex hac caulem unicum, tenerum, herbosum, et in coccineum colorem vergentem: folia porracea, pinguia, infernè viridantia, supernè verò sublutea: caulis extrema occupat flos magnus, visu pulcher ex alboque aut luteo rubescens. Nec alius est usus praeterquam radicis, frigidae quidem atque glutinosae, aut floris. Nascitur in frigidis, velut *Stapalapae*, aut paulò calidioribus in planis humectisque et hortensibus locis.

CAPUT CLXXII.

De COZTICCOANENEPÍLLI, *seu Coanenepilli lutea.*

Radices fundit COZTICCOANENEPÍLLI purpurascentes prolixasque, et in caulibus folia oblonga et lata. Urinam evocat tusa, atque epota unciae unius mensura.

CAPUT CLXXIII.

De COZTICATON, *seu herbula lutea.*

Florem fert COZTICATON luteum, depressumque semen. Nonnullum participat calorem. Succus verò infusus naribus dolorem capitis tollit.

CAPUT CLXXIV.

De COZCATLACUALZIN, *seu luteo Tlacuatzin.*

Herba est hirsuta et subalbida, folia ferens longa, angulosa et angusta. Haec frigida et lubrica constant natura: inflammationibus medentur apposita. Similis est *Axochiatl*, sed flores sunt modici, columbarum figura, et ex luteo rubescentes. Nascitur *Quauhquechullae.*

CAPUT CLXXV.

De COCOZTÁMAL, *seu luteo Tamali.*

COCOZTÁMAL, quam alii *Cocoztic*, *Cocozton*, et *Cocoztli*

vocant, Fruticis volubilis genus est, crassam et pallentem radicem fundens, unde nomina: caulem laevem, tenuem, atque rotundum, folia sinuosa, et in tres divisa cuspides, flores candidos, modicos, illis *Izquixochitl* persimiles, e quibus oriuntur acini haud absimiles cerasis, sed colore candentes. Radix pallet et inodora est, sapor verò salivosus, temperies mediocris, aut paulò in frigus humiditatemque inclinans. Urinam mirè evocat, arenas et pituitosa excrementa pellit, atque adeo quidquid urinarios meatus obstruit, expurgat et trahit, carnemque ibidem superexcrescentem reprimit, si in laevorem redacta semunciae mensura ex liquore aliquo aperiente devoretur, et agglutinato pulvere radicis ex ovi albumine, aut oleo amygdalarum dulcium Junco *Xomalli* vocato, gossypino tamen priùs filo irretito circumvolutoque, atque ita penis cavitati admoto. Quemadmodum raro quodam exemplo cognitum est apud Mantuam Carpetanam, Philippi II. regiam, cum laboraret Episcopus Cordubensis, qui tunc erat Conchensis Praesul, et a confessionibus ejusdem optimi ac maximi Regis nostri, gravissima quadam urinae suppressione; eo enim praesidio subitò ac veluti per miraculum est liberatus, reseratis viis, uberrimaque urinae copia penitus effusa, haud sine optima mercede artificis, cum tamen ille neque, unde sumeretur id genus auxilii, nosset, aut quid-

quam aliud, quàm se, aliosque permultos a quodam Indo Medico sibi id arcani servante ab ejusmodi aegritudinibus fuisse servatos, atque ereptos. Et quamquam sint qui contendant, non eo pulvere, sed caudae *Tlacuatzin* animalis, cujus etiam effigiem exhibemus, evenisse, quae eisdem morbis affectis mirabile quoque auxilium praestat; tamen re diligenter considerata atque inquisita, inventum est e radice hujus plantae, non ex cauda praedicti animalis mutuatum esse, quod narravimus, auxilium.

CAPUT CLXXVI.

De COZTIXIHUITL.

Radici innititur longae, tenui, et fibratae, ex qua fundit caules tenues, dodrantales: et in eis folia Lini, longiuscula et angusta, luteum florem ac semen orbiculare in summis ramulis. Radix tusa, ac devorata ex aqua semunciae mensura, vacuat bilim, pituitamque. Nascitur *Chalci* frigidis locis, ac collibus. Radix est impensè amara, calidaque et sicca ordine tertio, et nonnihil urens guttur. Provenit etiam *Tzonpanci*, ubi *Coztictlanoqualoni* vocant.

CAPUT CLXXVII.

De QUACOZTON, *seu fronte pallenti.*

Fibratae radici insistit QUACOZTON, et nonnihil pallenti,

unde proferuntur caules: et in eis folia Limoniae Mali, et in extremis caulibus pallescentia, unde nomen, ac semen rotundum contentum in vasculis. Nascitur *Culhuacani*, et in *Ocoituci* frigidis locis. Temperata est, nonnihil amara et subdulcis, aut in frigiditatem declivis. Propinatur ex aqua adversùs febres, et a partu roborandis enixis.

CAPUT CLXXVIII.

De CEMPOALXOCHITIC, *seu herba simili Cempoalxochitl.*

Radicem fundit CEMPOALXOCHITIC Raphano similem forma, atque magnitudine: folia Cichorii, spinifera, serrata asperaque, sed circa exortum compressa, ac velut praecincta: caules dodrantales, luteosque, et in pappos abeuntes flores, unde nomen. Decoctae radicis infusum jus, quod amarum est, alvum solvit, urinam elicit, et ventris dolores levat; calida enim est, acris, subtilium partium, et exsiccans tertio ordine natura, atque ita tussi quoque devorata confert, ciet sternutamentum, et pituitam naribus detrahit instillata.

CAPUT CLXXIX.

De CEMPOALXOCHITL, *seu foliorum viginti floribus.*

Plantae ferentis florem, quem Mexicenses a numerosa foliorum multitudine CEMPOALXOCHITL, Hispani *Caryophyllum Indicum*, et antiqui ex quorumdam falsa sententia *Othonam*,

aut *Jovis florem* vocant, septem praecipuas invenio, quamquam sint et aliae, in hac nova Hispania differentias, flore, nomine, et magnitudine distinctas. Foliis constant omnes Tanaceti, floribus aut luteis, aut ex luteo rufescentibus, facultate ordine tertio calida atque sicca, sapore acri, tenuibus partibus, et non sine quadam gravitate odoratis. Vi pollet discutienti et aperienti: foliorum succus ebibitus, aut folia ipsa contusa, et ex aqua epota, vinove ventriculum gelidum contemperant, menses, urinam, et sudorem eliciunt, frigora intermittentium arcent illita paulò ante accessionem, flatum discutiunt, venerem excitant, cachexim a distemperie frigida hepatis ortam curant, aperiunt obstructa, convulsa laxant, hydropem levant, vomitum ex aqua tepida procurant, et tandem febrium rigoribus, imo febribus ipsis expurgata per urinam et sudorem causa medentur. Primae speciei flos est luteus, ceterorumque generum flores vincit foliorum amplitudine et numero; et *Cempoalxochitl* propriè vocatur a Mexicanis ob numerosam mirabilemque foliorum congeriem, quorum dispositione et forma albam rosam nostratem quadamtenus videtur imitari; hujus generis planta ceteris major est, et amplioribus ornatur foliis. Secundus flos *Oquichtli*, seu *flos masculus* dictus ob magnitudinem foliorum et calycis, ut a primo genere totius plantae floris et foliorum amplitudine longo superatur inter-

vallo ; sic reliqua in omnibus, si foliorum numerum excipias, quo cunctis paene cedit, superat ac vincit. Tertium florum genus, *Tlapaltecacayatli* ob colorum varietatem dictum, minus est secundo, sed foliis, ut attigimus, numerosioribus, et e luteo in venetum inclinantibus colorem : hujus planta minor est praecedentibus, et minoribus foliis constat. Quartum verò, dictum *Macuilxochitl*, tertio ferè est par, sed pallenti colore. Quintum, *Tlapalcozatli*, vel *Coaxochitl* vocatum, praedictis omnibus minus est et non usque adeo numerosis foliis, tertiumque colore imitatur. Sextum, *Zacaxochitlcoztic*, vel *Cozatli* dictum, luteum est, et minus praecedenti. Majusculum est septimum, *Tepecempoalxochitl* nuncupatum, sed exilioribus luteisque floribus, qualia sunt quoque ipsius plantae folia, quae sunt omnium minima. Quibusvis locis et quovis tempore sata, video, hujus provenire genera, sed laetiùs in calentibus emicuere jamdiu apud Hispanos, laetosque exteris quoque nationibus flores praestitere.

CAPUT CLXXX.

De CHICHIANTIC.

Ita vocant Mexicani Verbenacam rectam nostram, quam ajunt duarum drachmarum pondere bilem vacuare per inferna, et tumoribus praeter naturam admotam mederi. *Chichiantic* autem est *herba similis Chian.*

CAPUT CLXXXI.

De COPITLI, *seu nitedula.*

Herba est radici fibratae insistens, unde profert caules purpureos, et in eis Ocymi folia, et in supremis ramulis fructum acinosum, racematimque, Coriandri modo, coadhaerescentem; neque aliquam ejus herbae adhuc facultatem novi.

CAPUT CLXXXII.

De CAPANGAPA *aqua.*

Herba est radici fibratae innixa, unde profert caules: et in eis folia Salicis, flores verò in extremis ramulis cyaneos et spicatos, quibus inficiunt lanas, et quaslibet formas caeruleo exprimunt colore. Folia laevigata inspersaque medentur scabiei.

CAPUT CLXXXIII.

De COATLANTI, *seu Caninis serpentis.*

Frutex est spinosus, rubeos caules fundens, folia verò Ocymi, serrataque, terna, ac fructum moris similem; quo fit, ut Rubum nostratem esse existimem, aut illi saltem congenerem. Nascitur in temperatis, quale est solum *Mexicanum.*

CAPUT CLXXXIV.

De COCOPI.

Herbula est radicem fundens rotundam et parvam, Ciceri similem forma et magnitudine, ex qua prodit caulis tenuis, foliis ornatus angustis, et longis, ac valde raris. Radix lacte manat, quod bibitum ex vino gallico vocato morbo dicitur mederi, necnon scabiei : interdum ejusdem rei gratia quatuor quinqueve radices devorantur, aut majori numero infunduntur. Eaedem dicuntur, si tumoribus praeter naturam admoveantur, conferre. Est autem COCOPI herba luxationi opportuna.

CAPUT CLXXXV.

De CURUPENARIQUA.

Herbula est radicis surculosae, unde eduntur caules tenues, ornati per intervalla exilibus foliis. Radix est alba et amara, cujus succus instillatus oculis medetur. Nascitur editis montium locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CLXXXVI.

De CUINIQUICUMANCHUQUA, *seu umbra Sciuri nigri.*

Herba est radicem fibratam agens, et ex ea caules tenues atque rufescentes, ornatos foliis raris, longiusculis, angustis, ac per intervalla binis. Insipida herba est ac frigen-

tis temperiei. Succus radicis medetur morbidis oculis, si eis instilletur. Nascitur in temperatis *Tacambari*, frigidisque in locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CLXXXVII.

De CICERIS *sylvestris quodam genere.*

Offendi in hac nova Hispania plantam quamdam, fibrata radice, caulibus multis et tenuibus, ornatis foliis longis et angustis, binis per intervalla, ac totidem floribus ab eisdem exortibus, Legumini similibus purpureisque, unde generantur siliquae cicerum vasculis haud dissimiles, semina continentes paria ciceribus forma, sapore, et natura, obrotundaque.

CAPUT CLXXXVIII.

De CHUPÍRENI.

Radicibus firmatur fibris similibus, unde prodeunt caules sese convolventes arboribus, ornatique foliis Mali Medicae, sed undulatis, qui si resolvantur ex aqua, bibanturque, dolores ex morbo gallico profectos sedant. Calida constat siccaque natura, et sapore aliquantulùm odoro. Nascitur in collibus temperatis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CLXXXIX.

De CAUCALIDE *Mechoacanica.*

Nascitur in frigidis humidisque *Pazcuari* locis herbula foliis longiusculis et angustis, floribus exiguis, luteis, tenuibus radicibus, caulibusque brevibus et gracilibus, quam Caucalidam *Mechoacanicam* vocare libuit, quoniam indistincta similitudine Hispanicam, Anisumve et sapit, et olet; quo fit, ut illi esse congenerem putem. Jus decocti ejus confert defluxioni, quae fit a capite ad pectus, et hujus partis ceteris quibusque morbis. Fit ex illius decoctae jure addito saccharo syrupus praedictis impensè congruens morbis.

CAPUT CXC.

De CUCHÚQUA, *Psitaci planta.*

Arbor est folia ferens undulata, Mali Medicae paria foliis: stipites rubri sunt, et gratam baculis aliisque intestinis operibus tornandis praebent materiam. Nascitur in calidis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXCI.

De CACOMITL.

Herbula est radicem ferens obrotundam fibratamque, caepae parvae similem, et fulvis pelliculis tectam, ex qua

oritur cauliculus teres ac fulvus, et per intervalla folia singula similia porraceis e quibusdam geniculis, longa angustaque, venis secundùm longitudinem procedentibus, et gramineis quadamtenus similia; ac circa summum vascula quaedam oblonga, terna, et flores luteis foliolis longisque constantes, oblongisque spondilis longiusculis pediculis appensis e medio prodeuntibus. Radix cocta venditur in emporiis, edituque, et sapore castanearum decoctarum, similique, ut videtur, nutrimento, gratia atque temperie constat. Nascitur in agro Mexicano.

CAPUT CXCII.

De CACALACAXOCHITL, *seu flore sonanti.*

Herba est fibrata constans radice, unde funduntur tenues contortique caules: et in eis folia saligna, rara, sed angustiora, in summo verò flores lutei et oblongi compositi in spicas, unde generantur fructus obrotundi, parvi et subrubescentes, intra quos semen sonat, unde nomen; cujus floris tantùm, quod adhuc compererim, est usus.

CAPUT CXCIII.

De CIMATL *Tototepecensi.*

Radice firmatur glandi longiusculae, et tenui simili, ex qua eduntur caules teretes, et tenues, hirsutique, ornati Oli-

vae foliis, sed paululùm hispidis et subalbescentibus, et luteis floribus. Radix est gustu odora, calidaque ordine secundo, et nonnihil adstringens. Eadem plus satis laxae alvo medetur, drachmae unius pondere devorata. Nascitur in calidis, sive montosis locis, sive campestribus.

CAPUT CXCIV.

De ZAHUAPATLI, *seu medicina scabiei Tototepecensi.*

Radicem surculosam fundit, et ex ea caules tenues, refertos foliolis Origani, sed minoribus, ac paene purpureis floribus. Radix est amara calensque, et jus decocti ejus scabiem curat. Nascitur in calidis planisque locis.

CAPUT CXCV.

De COACIHUIZPATLI, *seu medicina doloris Tototepecensi.*

Caules mittit tres spithamas prolixos, et in eis Persici folia, sed majora, luteosque flores. Folia videntur insigni sapore carere, et tamen Indi referunt illitam sedare dolores. Nascitur in calidis et campestribus locis.

CAPUT CXCVI.

De COPALXIHUITL *Tototepecensi.*

Radix est orbicularis, parva, et fusca quadam obducta lanugine, unde prodeunt cauliculi breves: et in eis

folia parva, Filici similia, et spicati flores e viridi purpurascentes. Radix subamara est non sine quadam dulcedine, calidaque, sicca et adstringens. Doloribus lateris ventriculique medetur duarum drachmarum pondere devorata. Nascitur in calidis juxta saxa.

CAPUT CXCVII.

De CHILPATLI *Tototepecensi, seu acri medicina.*

Herba est mittens caules quinque cubitos prolixos e radice surculosa, ornatos foliis binis per intervalla, amygdalinis similibus, sed paulò latioribus et floribus modicis atque candentibus. Acris est radix calidaque et sicca ordine ferè quarto, unde nomen. Eadem devorata drachmae unius pondere bilim pituitamque vacuat per superna atque inferna. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT CXCVIII.

De CUITLACAMOTLI *Tototepecensi.*

Nomen invenit a gravi odore et forma radicis similis *Camotl*, a qua proferuntur volubiles caules tenuesque, folia orbicularia, rara, et flores parvi, et candentes. Radix est lubrica, et cujusdam caloris particeps. Tusa eadem infusaque urinam evocat, et opitulatur renum morbis. Nascitur in calidis, et campestribus locis.

CAPUT CXCIX.

De CHICHICPATLI *Tototepecensi.*

Radicibus firmatur surculosis, unde prodeunt caules sesquidodrantem longi: et in eis folia serrata asperaque, insignia interveniis secundùm longitudinem discurrentibus, et similia forma amygdalinis. Amara est, et nonnihil acris. Jus decocti ejus medetur dolori ventris provenienti e flatu aut frigore. Nascitur in calidis convallibus, et jugis.

CAPUT CC.

De CIMATL *Tototepecensi secunda.*

Radicibus insistit tenuibus et longis, e quibus prodeunt caules tenues, volubiles, teretesque: et in eis folia Alsines. Radix frigida et sicca natura constat, atque ideo eadem ex aqua resoluta applicataque tumores praeter naturam repellit. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT CCI.

De CHILPATLI *Tototepecensi altera.*

Arbor est calidarum regionum, et collium alumna, Mali Medicae ornata foliis, sed longè amplioribus, subalbidisque. Radix est nonnihil amara calidaque, et sicca praedicta temperie; cujus cortex resolutus ex aqua et devoratus do-

loribus ortis a gallica lue medetur, ac illitus febrium intermittentium rigoribus.

CAPUT CCII.

De ZAHUAPATLI *Igualapensi.*

Arbuscula est folia *Cococxihuitl* ferens ac candentes flores. Acria sunt folia, calidaque et sicca ordine tertio. Succus illitus scabiem curat. Nascitur in calidis montibus. *Cococxihuitl* mihi visa est, loco tantùm, et natalibus distans, aut ejus species; sed quia minori calore praedita erat, licuit hìc quoque ejus meminisse.

CAPUT CCIII.

De COACIHUIZPATLI *Igualapensi.*

Radices fundit surculosas, et inde ramos tenues et teretes, ac in eis folia rara, serrata, et Eupatorio Dioscoridis similia, cujus fortassis est species: flores verò, ut ferunt, cyaneos. Frigida, insipidaque constat, ac sicca natura, et nonnihil adstringenti. Dolori ajunt illitam mederi, unde nomen. Nascitur in calidis collibus. Depingendam verò non duxi, quoniam valde similis *Eupatorio* mihi visa est, adeoque illius species.

CAPUT CCIV.

De COMALPATLI, *seu splenis medicina Igualapensi.*

Arbuscula est fibratis radicibus, foliis Verbasci amplissimis, sed minimè hirsutis, et flore candenti. Radix est acris, odora gustu, resipiens caryophyllos, subtilium partium calidaque et sicca ordine quarto natura. Eadem duarum drachmarum devorata pondere aut tusa, atque admota splenem minuit, unde nomen. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT CCV.

De COALACTLI.

Radici insistit surculo simili, et inde cauliculos promit tenues, multos et hispidos: ac in eis folia Olivae, sed minora et hirsuta, ac florem in summis cauliculis hispidum et pallentem. Frigida et lubrica natura constat, medeturque inflammatis oculis. Ad species Bellis videtur pertinere. Nascitur in calidis planis aut editis locis provinciae *Igualapensis.*

CAPUT CCVI.

De CUEZPATLI *Igualapensi.*

Herba est radices fundens surculosas, et in caulibus, qui volubiles sunt, folia Limoniae Mali Macianive, sed crenata per intervalla ternaque, et flores candentes. Radix

est frigida et valde adstringens, et tamen succus foliorum argemata et leucomata discutere dicitur, et carnem eorum exedere supervacaneam. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT CCVII.

De CHICHILTICCIMATL.

Herba est radicem fundens magnam, similem Asphodelo, et ex ea caules lignosos, tenues, folia per intervalla quina, parva obtusaque, et Loto urbanae paene similia, ac caeruleos flores. Radix succo manat, frigidaque et sicca constat natura, et nonnihil adstringenti; quamobrem jus decocti ejus infusum curat dysenterias. Nascitur in calidis collibus *Igualapae.*

CAPUT CCVIII.

De CHICHILTICXUCHITL.

Radici insistit capillatae, unde profert cauliculos tenues, lignosos, et purpureos: et in eis foliola parva, angusta, et longiuscula, ac flores exiles luteosque, et calycibus parvis contentos. Frigida et lubrica natura constat, ac medetur dysenteriis. Nascitur in calidis planisque locis regionis *Igualapensis.*

CAPUT CCIX.

De COPALXOCHITL.

Frutex est frigidorum montium alumnus, folia ferens *Dentariae* vocatae, odora, serrata, et in acumen tendentia: floresque comantes et luteos, ac valde odoros. Calida est et sicca ordine secundo, verùm apud *Igualapenses* odoribus tantùm et floridis inservit manipulis.

CAPUT CCX.

De COCHAGUA.

Arbuscula est hominis altitudinem aequans, ramosa, ac virentibus, serratisque et ulmeis referta foliis; sed alatis juxta exortum a pediculo, et modicis candidisque floribus, Lilium forma referentibus. Folia Ocymum paene olent, et multis nerveis discursibus interstincta sunt ac stipites hirsuti et fibrarum instar radices. Semen verò frequens universo ramorum procursu, frumento simile, sed longè minus, quod tusum, resolutum ex aqua, atque devoratum medetur dysentericis. Nascitur in calidis *Huacanae*.

CAPUT CCXI.

De ARAXI, *seu herba, quam* de boca negra *vocant.*

Species est Ranunculi, Aconitive, radicibus Asphodelo

similibus, sed longè tenuioribus, teneris, ac succo manantibus, quae tusae ac dentibus admotae eorum dolorem sedant, carnem sanam, si opus sit, exedunt ac vulnerant, et supervacaneam absumunt. Calida enim urentique constant natura, atque ita eos omnes, qui a simili intemperie solent proficisci, praestant effectus.

CAPUT CCXII.

De CUTZITHUUATA.

Herba est fibratae innixa radici, unde prodeunt caulículi bini ternive, foliis ornati parvis, oblongis, serratis, per intervalla ordine utrinque dispositis, et candidis floribus. Radices tusae, atque ex aqua devoratae medentur tussi. Nascitur in temperata *Tacambari* regione provinciae *Mechoacanensis*.

FINIS TOMI PRIMI.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pág. 2, 3, 4, 4	*Lin.* 11, 9, 4, 17	diarrhaeas . . . . . *Lege.*	diarrhoeas
3, 13	. . . . 16, 10	diarrhaeis	diarrhoeis
4	 8	*Ololtic Apitzalpatli*	*Ololtic apitzalpatli.*
4	 22	*Cacaltzin*	*Zazaltzin*
9	 17	*Oxilopatli*	*Oxylapathi*
20	 12	constat	constant
26	 11	medeantur	medeatur
28	 11	Chamedriosve	Chamaedryosve
28	 18	quam	quae
29	 6	spithameos	spithamaeos
35	 9	acuminati	acuminatae
42	 11	teniae	taeniae
43	 2	imitantur. Radicem	imitantur, radicem
54	 14	comendandique	commendandique
57	 21	stygmatisque	stigmatisque
59, 67, 68	. . . 1, 16, 2	*dasipodis*	*dasypodis*
66, 425	. . . 19, 21	Quauhehinanci	Quauhchinanci
70	 16	lacrimas, Mosi	lacrimas Mosi
72	 6	aliis	alis
92	 16	quoniam his, ...	quoniam in his
101, 189	. . . . . 4, 2	hemorrhoidibus, hemorrhoidas.	haemorrhoidibus, haemorrhoidas
101	 8	Quin	Quinta
119	 6	*igneo*	*ignea*
166	 1	sacrisque, conficiendis	sacrisque conficiendis
170	 5	*Teocaltznicensi*	*Teocaltzincensi*
172	 20	nostratium, ficuum	nostratium ficuum
173, 174	. . . . 21, 3	Ethna, ...	Hetna,
199	 14	Phyllidis	Phyllitis
201	 11	exessa	exesa
207, 383, 396	. . 21, 2, 17	aethnae	aetnae
208	 1	formam, assurgens.	formam assurgens
212	 20	aethna	aetna
218	 19	*Hoeixochctl*	*Hoeixochitl*
223	 11	odore	odoro
270	 7	*Temimiltznici*	*Temimiltzinci*
271	 11	temperatae, ...	temperatè
297	 4	*Yztlanences*	*Yztlanenses*
299	 7	arrisserit	arriserit
331	 8	semiuncia	semuncia
338	 19	sed	seu
342	 16	serò	sero
343	 4	qui	quae
344	 16	folio. Volubilis	folio Volubilis
372	 10	haec est . . . . . *Dele* . . .	est
382	 3	solùm . . . . . *Lege* . . .	solum
386	*Lin.* . . . 19	*Ocortucensium*	*Ocoitucensium*
396	 1	*Cayulae*	*Zayulae*
410	 1	*Coaxixcatzinchietlae*	*Coaxixcatzin chietlae*
421	 17	*Oecitucensibus*	*Ocoitucensibus*
433	 2	Elichryso, non	Elichryso non
440	 9	*Capangapa aqua*	*Capangapaaqua.*
443	 13	*Cuchuqua, Psitaci*	*Cuchuqua seu Psittaci.*